Commentationes biblicae

V

De Sumeriis eorumque cum vetere testamento rationibus

Scripsit

Franciscus Xav. Kortleitner

Ord. Praem.



1930

Oeniponte. Typis et sumptibus Feliciani Rauch.

Nr. 473

Imprimatur

Administratura Apostolica

Oeniponte, die 17. Februarii 1930

L. S.

Urb. Draxl
Prov.

Imprimatur

Wiltinae, die 17. Februarii 1930

L. S.

Henricus Schuler
Abbas Ord. Praem.

L. S.

Cultum atque humanitatem Israelitarum cum ceteris gentibus orientis antiqui comparare omnibus, qui in vetere testamento explicando versantur, summae esse curae necesse est. Nam quibus cancellis Israelitae olim a gentibus, quae circa eos habitabant, separabantur, ii iam pridem sublati sunt. Imprimis autem nostra aetate religio et cultus profanus antiquorum Babyloniorum diligentissime perquiruntur atque cum vetere testamento comparantur. Neque dubium est, quin signis cuneiformibus investigatis explicatisque et effossionibus recentiore aetate in Babylonia factis ad humanam formam divinae revelationis veteris testamenti cognoscendam nova lux orta est: nam Babyloniorum cultum atque humanitatem penitus cognovimus, quae quantum ad sacras litteras et ad universam generis humani historiam pertinuerit, antea nemo ne coniecturâ quidem assecutus est. Imprimis tabulis in Tell el-Amarna inventis monstratum est circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum non solum reges et principes Asiae anterioris, sed ipsum Pharaonem, cum ad principes externos scribebat, scripturâ cuneiformi et linguâ Akkadicâ usos esse, atque effossionibus in oriente factis constat apud omnes fere gentes antiquas, quarum res gestas novimus, auctoritatem Babyloniorum iam mature plus minusve valuisse. Quare hodie nemo interpres sacrarum litterarum iam dubitat, quin cognitione cultus atque humanitatis Babyloniorum intellegentia veteris testamenti non minus adiuvetur quam cognitione cultus atque humanitatis Graecorum et Romanorum intellegentia novi testamenti et primorum temporum religionis Christianae.

Neque vero minus constat non modo scripturam cuneiformem, sed etiam religionem universumque cultum profanum Babyloniorum magnam partem ad gentem quandam ab iis prorsus diversam referenda esse, quam nos ratione nominis, quo ipsa patriam suam appellavit (*Sumer*), habitâ *Sumerios*, linguam autem, qua loquebatur, *Sumericam*

et disciplinam, quae in ea gente cognoscenda versatur, *Sumerologiam* nominamus. Qui Sumeriorum cultus humanus, quamquam ipsi iam exeunte tertio a. Ch. n. millennio post bella complurium saeculorum a gentibus Semiticis, quae in Babyloniam immigraverant atque cum iis procedente tempore in unam gentem coaluerunt, devicti sunt, tamen in Babylonia et Assyria permansit atque lingua quoque eorum ad usum religionis et doctrinarum duo millennia usque ad initium fere aerae Christianae conservata est. Hodie quidem Sumerios tantum ex eorum cultu atque humanitate Semitis relicta atque ex eorum lingua novimus; at dubium non est, quin procedente tempore etiam multa reperiantur, quae eorum propria, a Semitis autem recepta sunt.

Quaeritur, Sumeriorumne cultus humanus ut ad alias gentes Asiae anterioris, ita ad gentem quoque Israeliticam aliquid pertinuerit. Hoc quidem manifestum est Sumerios ipsos, cum eo tempore, quo gens Israelitica exstitit, iam pridem exstincti essent, ad eam nihil pertinuisse. Quamquam eorum auctoritas intercedentibus Babyloniis nonnihil ad Israelitas pertinuisse potest. Quod perscrutari huic libello propositum est. Sed quod accurate discernere non possumus, quid in Babyloniorum religione et cultu profano Sumeriis et quid Semitis, qui procedentibus saeculis in Babyloniam immigraverunt, attribuendum sit, ne illud quidem satis perspicitur, quid Israelitae Sumeriis et quid Babyloniis Semiticis debeant.

Scripsi Oeniponte quartodecimo Kalendas Aprilis 1930.

F. X. K.

Conspectus rerum

Pars prior

De Sumeriis

I. Quae sit universa Babyloniae natura 1—7
II. Quibus nominibus Babylonia antiquis temporibus significetur 7—12
III. Quaenam gentes antiquis temporibus Babyloniam incoluerint 12—28
IV. De Sumeriorum principibus et civitatibus 28—39
V. De Sumeriorum religione et cultu profano 39—44
VI. De scriptura cuneiformi a Sumeriis inventa eorumque lingua 44—55

Pars posterior

De Sumeriorum cum vetere testamento rationibus

I. Quae terra nomine biblico Sin'âr significetur 56—66
II. Auctoritasne Sumeriorum ad librorum veteris testamenti formam (scripturam, linguam, dicendi modum) valuerit 67—72
III. Quae rationes Sumericis de primordiis generis humani narrationibus cum vetere testamento intercedant 72—78
IV. In religione revelata invenianturne nonnulla, quae a Sumeriis recepta sint 78—81
V. Legesne Sumeriorum ad veteris testamenti leges pertinuerint 82—83
VI. Quid Sumerii ad cultum profanum Israelitarum contulerint 83—85

Index locorum ex sacris litteris allatorum 86
Index nominum et rerum 87—90
Addenda 91—92

Compendia scripturae

AB = Assyriologische Bibliothek
AO = Der alte Orient
BA = Beiträge zur Assyriologie und vergleichenden semitischen Sprachwissenschaft
BZ = Biblische Zeitschrift
BZF = Biblische Zeitfragen
CH = Codex Ḫammurapi
Exp = The Expositor
JAOS = Journal of American Oriental Society
JRAS = Journal of the Royal Asiatic Society of Great Britain and Ireland
K = *C. Bezold*, Catalogue of the Cuneiform Tablets in the Kouyunjik Collection of the British Museum. 5 vols, London 1889—99
KAT = *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Testament. Bearbeitet von *H. Zimmern* und *H. Winckler*. Berlin 1903
KB = Keilinschriftliche Bibliothek
MDOG = Mitteilungen der deutschen Orient-Gesellschaft
MSG = *J. P. Migne*, Patrolog. Series Graeca
MSL = „ „ Series Latina
MVAG = Mitteilungen der Vorderasiatischen Gesellschaft
MVAeG = Mitteilungen der Vorderasiatisch-Aegyptischen Gesellschaft
NkZ = Neue kirchliche Zeitschrift
OLZ = Orientalistische Literaturzeitung
PSBA = Proceedings of the Society Biblical Archaeology
R = *H. Rawlinson*, The Cuneiform Inscriptions of Western Asia. London 1861, 1866, 1870, 1875, 1880
RB = Revue biblique
ThQ = Theologische Quartalschrift (Tübingen)
VAB = Vorderasiatische Bibliothek
VAT = Tontafeln der Vorderasiatischen Abteilung der Museen zu Berlin
ZA = Zeitschrift für Assyriologie und verwandte Gebiete
ZAW = Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft
ZDMG = Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft
ZkTh = Zeitschrift für katholische Theologie

Pars prior

De Sumeriis

I

Quae sit universa Babyloniae natura

I. Inter fines deserti Syro-Arabici (Akk. *mât maš*) atque radices montium regionum Kûrdistân et Lûristân terra patescit, cuius natura geologica prorsus eadem est cum Africa septentrionali, non interrupta nisi Libano et Antilibano, valle Jordanis et mari rubro, quae ex eruptionibus et subversionibus geologicis orta sunt. Quae terra, fluminibus Euphrate et Tigride inclusa, diversâ proprietate geologicâ in duas partes dividitur, septentrionalem (Arab. *ed-Dschezîre* i. e. insula) et meridianam (Arab. *ʿIrâḳ el-ʿArabî*), quarum fines ibi sunt, ubi duo flumina inter se proxime (usque ad 20 km) accedunt (prope urbem Baghdâd), quo facto paribus intervallis inter se distantia ad meridiem fluunt. Pars septentrionalis flumine Chaboras[1], qui apud Circesium[2] in Euphraten influit, rursus in duas partes dividitur. Tota haec planities solis locis irrigatis fertilis est, ceteris, praesertim occidentalibus, adeo aquâ caret, ut desertum sit. Pars meridiana sive Babylonia, quae proprie vocatur, est planities alluvialis, montibus et collibus carens, inter gradus 30 et 34 latitudinis septentrionalis sita, spatium circiter 37.000 qkm occupans. Quare primi eius incolae apte „planitiem (*biḳʿâ*) in terra Sinʿar" invenisse dicuntur (Gn 11, 2). Quam planitiem magna illa flumina Euphrates et Tigris perfluunt, quae hodie communi ostio in sinum Persicum (Akk. *Tâmtu rabîtu ša napâḫ Šamši*, Arab. *Baḥr-i-Fars*) se effundunt, antiquissimis autem temporibus, de quibus nos agimus, propria ostia habuerunt, cum sinus Persicus multo longius ad septentriones porrigeretur quam nunc.[3] Atque Plinius (Hist. nat.

6, 27, 130) duo flumina ideo in unum convenisse dicit, quod „longo tempore Euphraten praeclusere Orcheni et accolae agros rigantes." At Euphrates multum harenae ac luti undis suis afferens procedentibus saeculis sibi ipse quoque ostium praeclusisse videtur; nam etiam nunc ob eandem causam fit, ut aquae sinus Persici quotannis magis magisque a terra recedant. Atque quantum humi ambo flumina procedente tempore deorsum tulerint, inde perspicimus, quod etiam aetate Alexandri Magni inter se disiuncta in mare exibant,[4] hodie autem 150 km supra ostium, haud procul a vico Ḳorna (Gurne) se coniungunt et sub nomine Šaṭṭ el-ʿArab (= flumen Arabum) mare petunt.[5] Alia flumina, quae ab oriente in Euphraten aut ab occidente in Tigridem influunt, in Babylonia prorsus desunt; nam „flumina Babylonis" (*neharôt Bâbel*), quorum Ps 137, 1 mentio fit, vel canales arte facti intellegenda sunt, ut Kebâr (Ez 1, 1. 3; 3, 15. 23; 10, 15. 20. 22; 43, 3) et 'Ahawâ' (Esr 8, 15. 21. 31), vel in Mesopotamia superiore in Euphraten influunt, ut Chaboras (2 Rg 17, 6; 18, 11; 1 Chr 5, 26).

[1] Hebr. *Ḥâbôr*; Gr. *Ἀβάρ, Χαβώρ, Χάβωρας*. A quo flumine distinguendus est *Kebâr*, Gr. *Χοβάρ*, qui in Babylonia quaeratur necesse est = canalis *Kabaru* prope urbem Nippur ductus, in cuius ripa ad orientem spectante Judaei Hierosolymis excisis collocati sunt. Sumerii, qui eum canalem duxerunt, eum „Euphraten (urbis) Nippur", Babylonii Semitici praeter Kabaru etiam „canalem magnum" nominabant.

[2] Ex iis, quae textibus cuneiformibus memoriae produntur, *Karkemiš* (Jes 10, 9; Jer 46, 2; 2 Chr 35, 20. Bab. *Karkamis*, Assyr. *Gargamiš*) non eandem esse urbem atque Circesium (*Κιρκήσιον, Κερκήσιον*; Arab. *Ḳarḳîsijâ*; Syr. *Ḳarḳûsijôn, Ḳarkîsijôn*) apparet, etsi nominis similitudo ei aequationi favet. Iis enim docemur Karkemiš fuisse urbem in dextera Euphratis ripa (a fluvio Sâdschûr septentriones versus) sitam atque caput terrae Ḫatti. Quare ibi fuisse videtur, ubi hodie collis ruderum *Dscherablûs Ḳalʿa* conspicitur.

[3] Verisimile est sinum Persicum, qui hodie spatium 236.835 qkm occupat, olim septentriones versus usque ad *Ḫôr-el-Ḥamar* et *Ḫôr Abû Kelâm*, quae loca palustria nunc plus 100 km a mari distant, et orientem versus usque ad flumen Karûn pertinuisse. Ubi hodie Euphrates cum Tigride coniunctus fluit, ibi mare olim lacunam efficiebat, quam Babylonii ex sapore aquae „fluvium amarum" (*nâru marratu*) vel etiam „mare Chaldaeae" (*tâmdi ša Kaldi*) nominabant. Scriptores Graeci et Romani eam nomine „lacus Chaldaici" significant (velut Plinius, Hist. nat. 6, 27, 134). Cuius lacunae magnitudinem ab ostio Euphratis usque ad ostium Tigridis sescentorum stadiorum (111 km) fuisse Nearchus, dux classis Alexandri Magni, memoriae tradit (cf. Arrian. Indica 42. Strab. Geogr. 15, 3,5). Reliquiae eiusdem lacunae in paludibus, quae ab urbe Baṣra ad septentriones et occidentem, a Tigride orientem versus (inter eum et flumen Kerchâ) sitae sunt, permanserunt.

[4] Ostia autem Euphratis et Tigridis non ita multum inter se distare potuisse e loquendi formula *ina pî nârâti* (= ad ostium fluminum) perspicimus. — Etiamsi

scriptores posteriores, ut Plinius (Hist. nat. 6, 27, 130) et Arrianus (Anab. 7, 7, 5), de separatis ostiis Euphratis et Tigridis agunt, quae Plinius (loco allato) septem atque adeo viginti quinque milia passuum inter se distare dicit, tamen antiquiores Graeci, qui in ea loca venerunt, consentiunt duo flumina uno ostio in mare influere. Secundum Ptolemaeum (Geogr. 5, 6, 2) Euphrates cum Tigride coniunctus duobus bracchiis a Teredon (*Id-da-ra-a-tu*, Τερηδών, Διρίδωτις) orientem et occidentem versus in mare se effundit.

[5] In Šaṭṭ el-ʿArab, qui 70 km, antequam in mare influit, in complures partes dividitur, Euphrates et Tigris coniunguntur simulque Choaspen (Akk. *Uknû*; Χοάσπης, Χοάσπις, Χόασπις; hodie *Karûn*) et Elaeum (Hebr. *'Ulai*, LXX Οὐλαί Οὐβάλ, Dn 8, 2. 16; Akk. *Ulâ'a*; Εὐλαῖος, Εὔλαιος; hodie *Kerchâ*) excipiunt, quae flumina antiquissimis temporibus in sinum Persicum se effuderunt. Sunt qui existiment ea procedente tempore alveos mutasse et coniciant Karûn inferiorem et Kerchâ superiorem antiquitus unum idemque flumen fuisse. Choaspes aquâ clarâ et iucunde sapiente celeber est; quare reges Persarum in expeditionibus semper eam in vasis argenteis servatam secum ducebant (Herod. Hist. 1, 188).

Frd. Delitzsch (Wo lag das Paradies? Eine biblisch-assyriologische Studie 195s. 329. Leipzig 1881) conte di nomine Kerchâ Choaspen, nomine Karûn Eulaeum significari. Quod alii non probant. Etiam aequatione quattuor fluminum paradisi cum quattuor illis fluminibus, quae antiquissimis temporibus separata in sinum Persicum influebant, ex mea quidem opinione quaestio illa, ubi paradisus situs fuerit, solvi non potest.

J. Theis quoque (Das Land des Paradieses. Trier 1928) paradisum in planitie Babylonia (Eden = Akk. edinu = Sum. edina) quaerit. Ex eius opinione quattuor flumina paradisi sunt: *Perât* = Euphrates; *Pišon* = canalis Pallakotas; *Giḥon* = pars Euphratis, quae in Tigridem fluit; *Ḥiddeḳel* non Tigris, sed flumen ab Euphrate divertens est. J. Theis plerumque A. Musil (The Middle Euphrates [Oriental Explorations and Studies III. New York 1927] 280—283) adstipulatur, quoniam Ḥiddeḳel et ipse canalem ab Euphrate divertentem i. e. canalem *al-Ḳarma* esse putat, quem scriptores Arabici *ad-Duḳeǰl* sive *ad-Dudscheǰl* (diminut. vocabuli *Deḳel* sive *Dedschel*) nominabant. — Ceterum videas A. Deimel, Wo lag das Paradies? (Orientalia, nr. XV, 1925, 44—54). J. Linder in ZkTh, LIII, 1929, 296—299.

II. Solum Babyloniae tam mirâ erat fertilitate, ut agri multiplices atque si Herodoto (Hist. 1, 193) fidem habeas, bis vel ter centumplices fruges tulerint. Falso autem tota terra Euphrate et Tigride inclusa ad agriculturam apta fuisse putatur. Nam semper magna spatia, cum irrigari non possent, inculta fuerunt, ut Babylonia vix plus 30.000 qkm soli ad culturam apti contineret i. e. tantum fere quantum Aegyptus vel Belgica.[1]

Arbores praeter palmas, tamarices, populos Euphraticas (Ps 137, 2) in Babylonia vix inveniebantur; vineae, ficus, oleae, aliae arbores fructiferae in hortis solis colebantur. Schinus (*Pistacia lentiscus* L.) et prinus (*Quercus coccifera* L. vel *Quercus ilex* L.), quae Dn 13, 54. 58 memorantur, non necessario pro arboribus in-

digenis habendae sunt, sed in hortum Susannae aliunde translatae esse poterant.[2]

Animalia eadem fere quae in terra Canaan et Assyria occurrebant, exceptis ibicibus et ursis aliisque montium incolis. Atque ex animalibus feris et in inscriptionibus commemorantur et in monumentis finguntur leo, pardalis, canis aureus, vulpes, sus silvaticus, bos ferus. Ex animalibus domesticis boves, caprae, asini, canes antiquitus indigena erant. Equus autem procedente demum tempore ex Susiane inductus esse videtur. Ex avibus columba, hirundo, corvus, anas fera antiquitus inveniuntur. Educatio pecudis volatilis aetate demum Assyriorum vel Persarum in usum venire coepit. Postea pavones Babylonii celebres erant.

Cum Babylonia terra alluvialis sit, metalla non habet, nisi quod in partibus ad occidentem et orientem vergentibus lapis harenaceus, basaltes, porphyrites, diorites, in his posterioribus fortasse plumbum quoque album effodiebantur. Ibi eae quoque gemmae et semigemmae inventae esse videntur, quae in inscriptionibus ornamenta templorum Babyloniorum fuisse commemorantur. Ex inscriptione quadam regis Tiglat-Pileser III (KB, II, 14s.) in litore sinus Persici etiam aurum inventum esse apparet. Memoratu dignae sunt venae quoque bitumiais, quae in septentrionali parte terrae inveniuntur (Herod. Hist. 1, 179).

[1] De fertilitate Babyloniae videas etiam Strab. Geogr. 16, 1, 14 et Theophrast. Hist. plant. 8, 7. Berosus narrat patriam suam triticum et hordeum, quae sponte suâ proveniant, legumen quoddam (ὦχρον) et sesamum effundere (*C. Müller*, Fragmenta historicorum Graecorum II, 496. Parisiis. 1848). Conferas *H. Wagner*, Die Überschätzung der Anbaufläche Babyloniens und ihr Ursprung (Nachrichten der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Phil.-hist. Kl. 1902).

[2] Pro li no, quod in Babylonia rarum erat, imprimis terra argillacea usurpabatur. Lateres ex ea confecti partim sole torrebantur, partim in fornacibus coquebantur et pro calce bitumine, quod cum arundine vel canna miscebatur, inter se coniungebantur.

III. Babyloniae fertilitas in inundationibus Euphratis et Tigridis[1] posita est idque fortasse magis quam Aegypti fertilitas in inundationibus Nili. Quare iis fluminibus varia nomina beneficia, quae terrae largiebantur, significantia indita sunt. Velut Euphraten *napišti mâti* (= vitam terrae), Tigridem *babilat nuḫši* (= qui emolumentum affert) nominabant. Atque Tigris iam ineunte Martio crescere incipit; maximam altitudinem ineunte Maio attingit; postea vero rapide decrescit, ita ut medio Junio ad prio-

rem statum redeat. Euphrates autem medio Martio augeri incipit et exeunte Maio vel ineunte Junio aquas latissime diffundit, decrescit vero a medio Julio usque ad Septembrem.* Cum igitur non Tigris, sed Euphrates causa admirabilis fertilitatis Babyloniae olim esset, omnes fere insigniores urbes antiquae in ripis Euphratis sitae fuerunt, cum ripae Tigridis desertae fere manserint. Ut autem eorum fluminum inundationibus terrae fertilitas quam maxime augeretur, multi et varii canales depressi sunt, quibus aquae in diversas regiones dirigerentur. Propterea iam Sumeriorum reges et principes ad canales faciendos atque conservandos summam diligentiam adhibebant, id quod ex eorum inscriptionibus apparet, in quibus plus quinquaginta nomina canalium inveniuntur.[2] Et cum Babylonia praeter multos illos canales nunc deletos etiam complures lacus magnos haberet, qui partim inundationibus fluminum, partim, ut aquae ad aestivum tempus conservarentur, arte facti erant (quorum maximum, opus reginae Nitokris, Herodotus Hist. 1, 185 describit), aquâ abundabat (cf. Jer 51, 13).

[1] Euphrates, Hebr. *Perât* (Gn 2, 14; Jer 13, 4—7; 51, 63) = Akk. *Purât*, *Purâtu* (*Pu-rat-tu*, *Pu-ra-at-tu*), quod ad Sumericum *bur* (= alveus) referendum est. In lingua Sumerica Euphrates plerumque *Bu-ra-nu-nu* (= flumen magnum) appellabatur. Sed etiam nomen *Bura* solum in usu erat, quod exitu generis feminini addito *Purâtu* factum est (fluminum enim nomina Semitica generis feminini sunt: conferas Akk. *nâru*, plur. *nârâti*; Arab. *falag*, plur. *falagât*; Hebr. *nâhâr*, plur. nonnunquam *neharîm*, saepius autem *neharôt*). Nomen Graecum Εὐφράτης a Persico *Ufrâtu*, non ab Hebraico *Perât* vel ab Arabico *Furât* (*el-Frât*), ducendum est. In sacris litteris etiam simpliciter *nâhâr* (Jes 7, 20; 19, 5; Jer 2, 18; Mich 7, 12; Sach 9, 10; Ps 72, 8), *han-nâhâr* (Gn 31, 21; Ex 23, 31; Jes 8, 7; 11, 15; 2 Chr 9, 26), plenius *han-nâhâr Perât* (1 Chr 5, 9), *han-nâhâr nehar Perât* (Dt 11, 24), *han-nâhâr hag-gâdôl nehar Perât* (Gn 15, 18; Dt 1, 7; Jos 1, 4) appellatur.**

Tigris, Hebr. *Ḥiddeḳel* (Gn 2, 14; Dn 10, 14), quod ad formam Akkadicam *Idiḳlat* (*I-di-iḳ-lat*), praeter quam forma quoque contracta *Diḳlat* (*Di-iḳ-lat*) usurpatur, referendum est. *Idiḳlat* cum Sumerico *I-digna*, *I-dignu* (postea plerumque *Idignat*, *Dignat*, ex quo vet. Pers. *Tigrâ*, Pehl. *Tigrat* (cf. Τίγρης, Τίγρις] atque Arab. *Didschlat* ortum est) cohaeret. *Idigna* = *idi-gina* i. e. flumen (semper) fluens. Hodie *Šaṭṭ*, in cursu inferiore etiam *ed-Didschle* (= sagitta) appellatur.***

---

* Falso Plinius (Hist. nat. 5, 26, 90) inundationes Euphratis in idem tempus cadere, quod Nili dicit.

** Conferas E. König, Historisch-comparative Syntax der hebräischen Sprache (Leipzig 1897) 289, § 295 g. Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar (Leipzig 1914) 70. S. Landersdorfer, Sumerisches Sprachgut im Alten Testament. Eine biblisch-lexikalische Studie (Beiträge zur Wissenschaft vom AT 21. Leipzig 1916) 31.

*** Conferas Frd. Delitzsch, l. c. 21. S. Landersdorfer, l. c. 30s. — Ex collectione omnium eorum, quae scriptores Graeci et Latini de fluminibus

Euphrates et Tigris ex montibus Armeniae (*Na'iri*) profluunt. Atque *Euphrates*, maximum flumen Asiae anterioris, e Kara-Su sive Euphrate occidentali atque e Murâd-Su sive Euphrate orientali oritur; ille ab urbe Erzerum 37 km septentriones et orientem versus, hic a lacu Wân (Vân) septentriones versus in fastigio montis Ala-Dagh (3519 m) profluit. Euphrates saepius cursum, qui hodie 2775 km longus est, mutavit. Urbs quidem Sippar (Abû Habba) olim ad Euphraten sita erat, nescio an Erech (Warka) quoque. Nunc autem Euphrates satis procul et a Sippar et ab Erech, cuius ruinae ad Šaṭṭ en-Nîl sitae sunt, occidentem versus fluit. Tigris oritur ex Tigride occidentali, qui ab urbe Charput 30 km meridiem et occidentem versus prope fluvium Murâd-Su profluit, atque ex Tigride orientali, qui e montibus a lacu Wân meridiem versus assurgentibus defluit. Eius cursus 1870 km longus est.

In *Euphraten* influunt: a parte sinistra *Baliḫu* (hodie *Belîḫ*) et *Ḫabûru* (hodie *Ḫâbûr*), qui fluvii ei aquas montium septentrionalium ab oriente adducunt; a dextra parte in textibus cuneiformibus unus fluvius *Sagûru* (hodie *Sâdschûr*), qui prope Karkemiš se effundit, commemoratur. In Tigridem tantum a montibus ad orientem spectantibus fluvii effunduntur. Memoratu digni sunt (a septentrionibus ad meridiem versus): *Ḫusur* (hodie *Ḫôser*), qui urbem Niniven perfluebat, *Zâbu êlû* (hodie *Zâb el-ʿala* i. e. superior, Syr. *Zâbâ rabâ*), *Zâbu šupalû* (hodie *Zâb es-sifla* i. e. inferior, Syr. *Zâbâ zaʿûrâ*), *Turnat* (probabiliter *Tornadotus* veterum, hodie *ʿAdhêm*), *Ṭâbân* (hodie *Dijâlâ*). Conferas *Frd. Delitzsch*, Wo lag das Paradies? 182—187, ubi autem ʿAdhêm falso cum parvo fluvio Radânu et Turnat cum Dijâlâ aequantur.

Diligentissimam Euphratis et Tigridis descriptionem continet F. R. Chesney, The expedition for the survey of the rivers Euphrates and Tigris (London 1850), I, 13—62. Conferas etiam E. S. Stevens, By Tigris and Euphrates. London 1923. F. Hommel, Ethnologie und Geographie des Alten Orients (München 1926) 264—277.

[2] Frd. Delitzsch in libro, qui inscribitur „Wo lag das Paradies?", 187—193 canalibus Babyloniis tractandis tres indices subiecit, qui sunt: *a*) 2 R, 50, 7—16; *b*) 2 R 51. nr. 1 (= K 4415) lin. 25—26; *c*) K 4344 = 2 R 51. nr. 2. Ad quos nunc quartus index K 2096 (var. K 6308) addendus est. At fieri non potest ductus singulorum canalium hodie demonstrare, quoniam eorum cursus saepe mutatus est. Ex iis imprimis memorabiles sunt canalis Araḫtu et canalis regis. Canalem *Araḫtu* (*nâru A-ra-aḫ-tu*) partem urbis Babel ad orientem spectantem praeterfluxisse ex inscriptione Bavian, quae vocatur (lin. 51s.),* atque ex inscriptione quadam regis Nabopolassar (KB. III, 2, 4) apparet. Secundum Frd. Delitzsch (l. c. 75s. 173. 189s.) ab urbe Babel meridiem versus ab Euphrate divertebat et urbem Nippur praeterfluens apud urbem Ur rursus in Euphraten exiit. Canalis autem regis (*nâr šarri*, *Nahr al-Malik*) antiquitus canalis ab urbe Opis (ad Tigridem sita) ad urbes Sippar-Agade (ad Euphraten sitas) ferens nominatus fuisse videtur. Atque fieri potest, ut canalis Araḫtu inter urbes Opis et Kiš ab eo diverterit, qua re urbes Opis et Babel inter se coniungebantur. Canali autem regis etiam ad orientem versus, trans Tigridem, alius canalis adiunctus fuisse videtur, cui fortasse nomen *Mê-Bêl* (*Nahr Bîn*) erat. Neque vero reperiri potest, a quo rege canalis regis nomen acceperit. In numero canalium, quibus olim Euphrates et Tigris coniungebantur, *Nahr Ṣarṣar* (in inscriptionibus *nâr*

Babyloniae memoriae prodiderunt, quamvis inter se discrepent, tamen conici potest inferiori cursui Tigridis (*Surappu* inscriptionum) nomen quoque *Pasi-Tigris* fuisse.

* H. Pognon, L'inscription de Bavian. Paris 1879.

Zalzallat) et *Nahr ʿIsâ* (hodie canalis *Ṣaḳlawîje*) a canali regis septentriones versus siti, *Nahr Kutha* (*nâr-Gú-dú-a-ki*) et *Nahr en-Nîl* ab eodem meridiem versus siti ponendi sunt. Incertum autem est, num *Nahr en-Nars* ab urbe Babel meridiem versus ab Euphrate divertens et ad urbem Nippur ferens cum *nâr eššî* (cf. nomen urbis *Nâr eššu*) aequandus sit (cf. Frd. Delitzsch, l. c. 231). Canalis *Pallakotas* (Neobabylonice *Pallukâtu* sive *Palukkâtu*) prope Fellûdscha ab Euphrate divertebat et prope Teredon in sinum Persicum exibat (cf. B. Meißner in MVAG I, 4, 1—13).

Scriptores Graeci et Romani (Arrianus, Ammianus Marcellinus, Polybius, Ptolemaeus, Strabo, Plinius) tantum quattuor canales Babyloniae commemorant: *a*) Νααρμάλχας sive Νααρμάλχης, ὁ βασίλειος ποταμός, ἡ βασιλικὴ διῶρυξ, *regium flumen*, Aram. *nahar malkâ* (Talmud Babli, Kidduschin 70b. Gittin 23a. Schabbath 108a), quod apud Sippar-Agade ab Euphrate divertens prope Seleuciam in Tigridem exibat, ut cum *nâr Aganê* inscriptionum aequandum esse videatur. *b*) Παρσάρης (Μαρσάρης), *nâr šarri* (quod nomen Arabico *en-Narsî* subesse potest), fortasse idem est qui *nâr Ḫammurapi*, qui Euphraten vel cum mari vel cum canali Pallakotas coniungens a Babel meridiem versus urbem Borsippa praeterfluebat et fortasse cum Nahr Hindîjeh huius aetatis, qui in paludes Abû Nedschm influit, aequandus est. *c*) Παλλακότας, Παλλακόπας, *Pallakonta*, quem Alexander Magnus siccavit. *d*) ὁ διὰ Βαβυλῶνος ῥέων ποταμός, *Babylonia fossa* i. e. canalis Araḫtu, qui hodie quoque sub nomine Šaṭṭ en-Nil a Babel septentriones versus ex Euphrate exiens ad meridiem atque orientem fluit, tum in duas partes dividitur, quarum una apud Kud el-ʿAmâra in Tigridem, altera ab el-Muḳaijar (el-Mugheir) septentriones versus Euphraten effunditur.

Ceterum videas F. Hommel, Ethnologie und Geographie des Alten Orients 277—292.

II

Quibus nominibus Babylonia antiquis temporibus significetur

I. Antiquissimis temporibus in Babylonia multae et parvae urbes, quarum suus cuique princeps erat, fuerunt. Earum ruinas colles ruderum, qui ibi ubique e deserto assurgunt, tegunt. Neque vero incolae eius terrae unius eiusdemque originis fuerunt. In parte septentrionali, terra *Akkad*, gens Semitica, quae se ipsa *Akkadios* (*Akkadû*) appellabat, in parte meridiana, terra *Sumer* (*Šumêr*), quae usque ad urbem Isin pertinebat, gens non Semitica, *Sumerii*, habitabant.

Nomen antiquum, quod uno vocabulo totam Babyloniam significet, non exstat. Nomine autem „Sumer et Akkad" tota Babylonia primum circa annum a. Ch. n. 2500 (secundum alios 2800) significata est, cum Ur-Gur (Kalab-Ba'u), rex urbis Ur, totam terram ab Euphrate et occidentem et orientem versus sitam subegisset.

Nomen Sumer, cum compositum sit e *šu* (= manus, potentia) et *mêr* (= validus, magnus) ad magnitudinem vel potentiam et terrae et gentis significandam pertinet. Sumer autem nomen eius terrae esse, cuius incolae linguâ Sumericâ loquebantur, inde elucet, quod C. Bezold textum invenit, ubi *Eme-ku* cum *li-sa-an šu-mê-rî* aequatur i. e. Eme-ku est lingua (terrae) Sumer (ZA, IV, 1889, 434). Ab ea terra viri rerum Babyloniarum periti Sumeriis nomen dederunt. Tertio millennio nomen Sumer Babyloniam meridianam solam significabat; antea autem maiorem regionem, etiam Babyloniam septentrionalem significasse inde apparet, quod ibi urbes Sumericae erant, quae Semitis progredientibus cesserunt. Ex eo, quod antiquissimi textus nisi in meridiana Babyloniae parte inventi non sunt, non sequitur, ut nomen Sumer tum solam eam terrae partem significaverit. Fortasse enim in septentrionali quoque parte nondum satis explorata invenientur. Ceterum respiciendum est urbes ad meridiem versus sitae antiquitus principatum terrae Sumer obtinuisse. Nomen Akkad est forma Semitica nominis Sumerici Agade, quo urbs quaedam Babyloniae septentrionalis significatur;* nam in textu quodam Sumerico (de quo infra dicemus), cuius singulis versibus conversio Akkadica addita est, nomen *A-ga-de* nomine *Ak-ka-di-i* redditur. Ex nonnullorum opinione Akkad „terram altam", Sumer „terram depressam" (secundum alios „terram nigrorum" vel simpliciter „terram") valet.

Ceterum viri docti non consentiunt, utrum Sumer an Akkad partem meridianam Babyloniae significet. Velut O. A. Toffteen (Researches in Assyrian and Babylonian geography 26 et tab. geogr. Chicago 1908) putat Akkad Babyloniae partem meridianam, Sumer septentrionalem significare. Ad quam opinionem M. Jastrow quoque (Die Religion Babyloniens und Assyriens I, 29. Gießen 1905—12) inclinat. F. Hommel (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 23s. 243) verisimillimum esse iudicat nomina Sumer et Akkad non Babyloniam meridianam et septentrionalem, sed Chaldaeam et Babyloniam, quae proprie dicitur, significare; Euphraten finem duarum terrarum esse; quae terra ab Euphrate occidentem versus i. e. inter Euphraten et desertum Arabicum sita sit, eam esse Chaldaeam, quae ad orientem (ab urbe Borsippa in septentrionibus usque ad sinum Persicum in meridie), eam esse Babyloniam, quae proprie dicitur, fortasse partibus meridianis exceptis i. e. finibus urbium Larsa et Giš-ul atque (a Šaṭṭ el-Ḥâi sive antiquo alveo Tigridis meridiem et orientem versus) Girsu et Sir-gulla, qui ad tempus quidem Chaldaeae fuerint. Fortasse terram Euphrate et Šaṭṭ el-Ḥâi circumscriptam esse Babyloniam (Akkad), terram ab Euphrate occidentem versus sitam Chaldaeam (Sumer). Hoc quidem constare urbes, ubi religio Sumeriorum maxime floruerit, urbes Eridu cum cultu dei Ea

* Sunt qui existiment nomen quoque Sumer ad urbem quandam referendum esse.

et Ur cum cultu lunae, ab Euphrate occidentem versus sitas fuisse, cum vetustissimum sacrarium Babyloniae, quae proprie vocatur, urbs Nippur cum cultu dei En-lil (postea Babel cum cultu dei Bêl-Marduk), ab Euphrate orientem versus situm fuerit. Neque in inscriptionibus cuneiformibus unquam Babyloniam cum Chaldaea, quae secundum eas ab urbe Babel meridiem versus sita sit, confundi. Item scriptores profanos Graecorum Chaldaeam, quam patriam astrologiae esse dicant, a Babylonia semper disiunxisse.*

II. Sumerii tempore antiquissimo terram suam i. e. Babyloniam meridianam *ki-en-gi* = terram κατ' ἐξοχήν appellabant, cum quo nomine nomen quoque loci *ki-en-gi*(*-ki*) cohaerere videtur. Qui locus, cum ibi rex urbis Lagaš sacrificia cibaria offerret, haud procul ab ea urbe quaerendus est. Pro *ki-en-gi* in duobus textibus Fâra (VAT 12454 et 12736) *en-gi-ki* scriptum legimus. Ex aetate regis Gudea ideogramma *ki-en-gi* cum complemento phonetico *rá* scribitur (VAB, I, 1. p. 100, 11, 16; p. 112, 21, 25; p. 140, 22, 20). Num *ki-en-gi-rá* iam tum „Šumer-rá" pronuntiatum sit, non liquet, quia id nomen ex codice Ḫammurapi demum novimus. Inde autem *ki-en-gi* semper „Šumêr" pronuntiatum est. Antiquissimum nomen Sumericum Babyloniae septentrionalis est *ki-uri*, pro quo postea *uri-ki-rá* i. e. *uri* cum complemento phonetico *rá* scribebatur. In textu autem quodam antiquo *uri* cum complemento phonetico *dá* invenitur.[1] Nonnunquam Sumerii Babyloniam vocabulo *kalam-ma*, quod terram κατ' ἐξοχήν significat, nominabant, cum de reliquo orbe terrarum vocabulo *kur-kur-ra* i. e. terra peregrina uterentur (VAB, I, 1, p. 36, n: *lugal kur-kur-ra*; p. 152, 2: *lugal kalam-ma*).[2]

[1] Duplex nomen *ki-en-gi ki-uri* aetate regis Ḫammurapi a Semitis verbis „mât Šumerim u Akkadim" (= terra Sumeriorum et Akkadiorum) reddebatur. Conferas CH, Epilog. 50: *ni-ši mât šu-mê-êr-im u ak-ka-di-im* i. e. populus terrae Sumeriorum et Akkadiorum.

[2] Conferas ZA, XVI, 1901, 354. n. 3. L. W. King, A history of Sumer and Akkad (London 1910) 14.

III. In epistulis Amarna Babylonia semper *Karduniaš* appellatur (ep. 1, 1; 2, 2; 3, 3; 5, 3; 7, 3; 8, 3; 9, 3; 10, 2; 11, 2; 200, 9; 255, 21).[1] Quod nomen quid valeat, etiam nunc incertum est. *G. Hüsing* (OLZ, IX, 1906, 663—665) Karduniaš ‚terram maris" i. e. terram ad sinum Persicum sitam significare putat.[2] Cum autem Kassitae imperium, quod initio „terrâ maris" continebatur, adeo promovissent, ut ad totam Babyloniam pertineret, Karduniaš nomen totius Babyloniae factum et imprimis ab Assyriis usurpatum est.[3]

* *H. Winckler* (Untersuchungen zur altorientalischen Geschichte 64. Leipzig 1889) falso negat Graecos et Romanos Chaldaeam a Babylonia distinxisse.

Nonnulli nomine quoque *Kaš* Babyloniam appellari putant; quod nomen a Kassitis ductum esse, qui tum, cum epistulae Amarna scribebantur, ibi imperium tenebant.

[1] De nomine Karduniaš videas Frd. Delitzsch, Wo lag das Paradies? 133—136. — Rex quoque Babyloniae non „rex Babylonis" (*Ba-bi-i-lu* vel *Tin-tir*) vel „rex Sumer et Akkad", sed „rex Karduniaš" (scriptum est *mât Ka-ra-ílu Du-ni-ia-a-aš*) appellatur.

[2] Licet plane demonstrari non possit Karduniaš „terram maris" significare, tamen haec interpretatio vocabuli interpretationi aliorum virorum doctorum, qui Karduniaš „hortum (*ginû*) vel aggerem ripae (*kâru*) vel arcem dei Duniaš" significare putant, anteponenda est (cf. VAB, II, 2, 1014).

[3] Kassitae in inscriptionibus cuneiformibus *Kaššû* vocantur, apud Graecos *Κίσσιοι*, non *Κοσσαῖοι*, id quod Frd. Delitzsch (Die Sprache der Kossäer. Linguistisch-historische Funde und Fragen. Leipzig 1884) putabat. *Κοσσαῖοι* enim cum gente *Kussu*, cuius in textibus cuneiformibus mentio fit, aequandi sunt. Atque dubium non est, quin Kaššû Kassitis aequandi sint. Ex eorum lingua multa vocabula, imprimis nomina propria, ad memoriam nostram pervenerunt. Quorum vocabulorum cum haud pauca in nominibus propriis gentium, quae montes inter Assyriam et Mediam sitos incolebant, atque Hethaeorum et Mitanni inveniantur, Kassitae fortasse iis gentibus cognati sunt. Neque vero aut Indogermani aut Semitae fuerunt, neque cum Elamitis aut Sumeriis ullam cognationem habuerunt. Contra Arii ad eos pertinuerunt. Nam quod Kassitae deum solis nomine Šuriaš colebant, hoc nomen a vocabulo Ariorum *sûrja* (sol) separari non potest.

Kassitae iam aetate Samsu-iluna, septimi regis primae domus regnatricis Babyloniae (1912—1875), de montibus terrae Elam * in Babyloniam invaserunt; repulsi autem primo Chaldaeam atque inde iterum repulsi „terram maris" occupaverunt, cui nomen Karduniaš indiderunt. Cum anno 1746 duce Gandaš Babyloniâ potiti sex fere saecula (usque ad annum 1171) ibi regnarent, Karduniaš nomen Babyloniae factum est atque etiam Assyriis regnantibus permansit.

IV. *Bît-Jakin(i)* (*Ja-ki-ni*) „domus (i. e. filii) Jakin" octavo a. Ch. n. saeculo (in inscriptionibus regum Tiglat-Pileser III 746—728, Sargon II 722—706, Sanherib 705—682) maxima rerum publicarum Chaldaeorum in Babylonia meridiana habitantium nominabatur idque ex nomine vel auctoris vel alicuius egregii principis domus ibi regnatricis, regis Jâkîn, aequalis regis Salmanassar III (859—824). Quae res publica eam partem Babyloniae, quae longissime ad meridiem spectabat, complectebatur atque ad mare sita erat. Initio fortasse ei nomen Karduniaš erat, sed iam circa annum 1100 sitûs ratione habita „terra maris" (*mât tâm-dim*, *mât tâm-tim*

* Secundum Ptolemaeum (Geogr. 6, 3, 3) Kassitae Susianem (hodie Chûsistân), secundum Diodorum Siculum (Bibl. hist. 17, 111) montes Mediae, secundum Polybium (Hist. 5, 44, 7) montes Zagros incolebant. Plinius (Hist. nat. 6, 27, 134) eos „Susianis ab oriente proximos" esse dicit. Certe in montibus a Babylonia orientem versus assurgentibus habitabant. Atque probabile esse videtur eos ab Ariis ad occidentem versus submotos esse.

KB, II, 128. 144. 184. 194. 272) vel simpliciter „mare" (*tâmdim* ib. 14) nominatur. Quare regi terrae Bît-Jâkîn nomen *šar tâm-dim* (= rex terrae maris) erat. Caput rei publicae „prope Euphraten et mare" situm *Dûr-Jâkîn* (= arx Jâkîn) appellabatur. Quod a rege Sargon II deletum est.

Ea maris pars, ad quam Bît-Jâkîn sita est, in inscriptionibus Assyriis *nâru marratu* (*mar-ra-ti*) vel sine determinatione *nâru* (flumen) praeposita simpliciter *mar-ra-ti* nominatur. Salmanassar III in inscriptionibus suis commemorat *tam-di ša* (*mâtu*) *Kaldi ša* (*nâru*) *mar-ra-tu i-qa-bu-ši-ni* i. e. mare Chaldaeae, quod *marratu* vocant. Quo nomine *marratu* nonnulli (velut E. Schrader) sinum Persicum significari putant, contra quam sententiam alii (ut Frd. Delitzsch) iure dicunt *tâmtum* (mare) nunquam determinationem *nâru* ante se habere, quod autem de *marratu* fiat. *Marratu* igitur non nomen sinus Persici, sed terminum technicum aestuarii alicuius esse, quod temporibus antiquis in interiora regionis pertinens postea apparere desierit. Cum autem demonstratum sit ad ostia Euphratis et Tigridis magnam lacunam fuisse, manifestum est eam cum (*nâru*) *marratu* inscriptionum Assyriarum aequandam esse.

Jer 50, 21 regio *Merâthaîm* commemoratur, quae, cum ad lacunam *marratu* sita esset, id nomen accepisse videtur et fortasse terrae Bît-Jâkîn aequanda est. Conferas Frd. Delitzsch, Wo lag das Paradies? 182.

V. Aetate postrema nomen *Babyloniae* a capite terrae ductum in usum venire coepit. Nomen *mât Bâbîli* (= terra Babylonis) illud quidem iam in titulo regis Kassitarum Agum-kakrimi i. e. Agum iunioris scriptum legitur (KB, III, 1, 136); sed quaeritur, num hîc totam Babyloniam significet. Aetate autem Persarum illud nomen vulgo usitatum erat; tum satrapia e meridiana parte Mesopotamiae facta nomen *mât Bâbîlu* et simpliciter *Bâbîlu* (Persice *Bâbiru*) accepit (cf. Herod. Hist. 1, 192. Xenoph. Anab. 7, 8, 25. Arrian. Anab. 3, 6, 14; 7, 21, 5). Ex hoc demum tempore nomen *Βαβυλωνίας* apud Graecos usitatum fiebat, ut in vetere quoque testamento nomen *'ereṣ Bâbel* vel simpliciter *Bâbel* in libris demum posterioris aetatis invenitur (Jes 14, 4; Jer 50, 28; 51, 41; Ps 87, 4; 137, 1). A Graecis autem Romani nomen „Babyloniae" acceperunt.

Regio inter Euphraten inferiorem et desertum Arabicum sita antiquissimis temporibus *Kašdu* nominabatur, unde medio fere secundo a. Ch. n. millennio *Kardu* factum est; nono autem saeculo forma *Kaldu* (*-di*, *-da*) = Chaldaea in usum venire coepit. Quod nomen etiam ad universam Babyloniam significandam adhibebatur. Velut Ramannirari III de *šarrâni ša mât Kaldi* dicit, quos reges universae Babyloniae intellegit. A saeculo septimo Israelitae quoque Babyloniam nomine *'ereṣ Kasdîm* = terra Chaldaeorum (Jes

23, 13; Jer 24, 5; 25, 12; 50, 8; Ez 1, 3; 12, 13. — Act 7, 4 *γῆ Χαλδαίων*) vel per metonymiam simpliciter *Kasdîm* (Jer 50, 10; 51, 24. 35; Ez 23, 15) significare solebant,[1] quod nomen nonnulli ab Akkadico *kašâdu* (= capere, expugnare), cui Hebraicum *lâkad* respondet, ducunt, ut expugnatores significet, alii ex *Kaš* (=Kaššû) et *da* (= regio) compositum esse existimant = regio gentis Kaš. Apud Graecos quoque saepe nomen *Χαλδαία* vel *Χαλδία*, apud Romanos „Chaldaea" invenitur.[2]

[1] Similiter apud Graecos quoque et Latinos pro terra eius incolae poni solere notissimum est; v. c. Brutti vel Brittii metonymice pro terra eorum, hodie Calabria ulteriore (Liv. 34, 53, 2).

[2] Significatio poetica vel potius symbolica Babyloniae agnoscenda est, quod Jesaia 21, 1 eam *midbar jâm* (= desertum vel planitiem maris) nominat, quia inundationibus Euphratis et Tigridis, antequam eorum aquae aggeribus exstructis coercitae sunt, tota terra maris instar operiebatur (Herod. Hist. 1, 148).

Adnotatio. — Babylonia, quae proprie dicitur, hodie *ʿIrâḳ el-ʿArabî* nominatur. Est regio circa inferiorem cursum fluminum Euphratis et Tigridis sita, a meridie sinu Persico, ab occidente desertis Arabico et Syrio, a septentrionibus superiore parte Mesopotamiae, quae ab Arabibus *eḍ-Dschezîre* appellatur, et Assyria, ab oriente flumine Tigride terminata. Babyloniae autem antiquae pars superior paulo ultra Tigridem usque ad radices montium Zagros (hodie *Bachtijâri*) pertinebat.

III

Quaenam gentes antiquis temporibus Babyloniam incoluerint

Quaerenti, cuiusnam gentium familiae antiquissimi Babyloniae incolae fuerint, respondenda sunt haec:

I. Gn 11, 2 scriptum legimus: „Factum est, cum (homines) proficiscerentur ab oriente, invenerunt planitiem in terra Sinʿar et consederunt ibi." Ex quibus verbis unum hoc colligere possumus, quo tempore posteri Noah discedere coeperunt, homines ab oriente in Babyloniam immigrasse. Ad tempus eius immigrationis accuratius determinandum ex loco allato nihil aliud efficitur nisi id haud multo post diluvium evenisse. Aliqua autem illius temporis determinatio Gn 10, 25 (= 1 Chr 1, 19) indicari videtur, ubi haec leguntur: „Eber nati sunt duo filii, nomen unius Peleg (= divisio), nam diebus eius divisa est terra, et nomen fratris eius Joktan." Secundum numerationem Hebraicam (Gn 11, 10—16) Peleg anno centesimo primo post diluvium natus est.[1] Unde conicitur iam eo

tempore posteros Noah adeo auctos esse, ut, cum haud diutius uno loco contineri possent, in variis regionibus sibi proprias sedes quaerere coeperint; quam ob rem maiori filio Eber nomen Peleg impositum esse: „divisa est terra i. e." incolae terrae divisi sunt (cf. Jes 11, 4; 66, 8).[2] Quod si probes, sequitur, ut non omnes posteri Noah in terram Sin'ar pervenerint, quod ad narrationem Gn 11, 1—9 explicandam non parvi est momenti. Et profecto omnes fere interpretes recentioris aetatis tantum partem Noahidarum in terram Sin'ar profectam esse, ceteros partim in prima patria remansisse, partim in alias terras emigrasse existimant. Atque etiamsi dicas verba Gn 11, 1 *kôl hâ-'âreṣ* omnem terrae ambitum aut totum genus humanum significare, tamen contextus versuum 1 et 2 non est eius modi, ut necessario omnes homines planitiem terrae Sin'ar invenerint ibique consederint. Cum narratione biblica bene concordat, si existimes solam illam posterorum Noah partem, quae ab oriente migrabat, in terra Sin'ar consedisse. Ex Gn 10, 5 quoque apparet nonnullas familias Noah iam alias regiones occupasse et posterorum Noah divisionem in singulas tribus et nationes paulatim ac naturalem in modum processisse ex Gn 10, 32: „Ab his (familiis filiorum Noah) dispersae sunt (נִפְרְדוּ) gentes in terra post diluvium" colligendum est. Dispersio igitur gentium non post linguarum confusionem demum, sed iam post diluvium evenit. Quae cum ita sint, Gn 11, 1—9 non de universi generis humani, quod in terra Sin'ar fuerit, divisione in singulas gentes, quarum quaeque suâ linguâ uteretur (id quod multi interpretes priores putabant),[3] sed de unius gentis Semiticae, posterorum domus Arpachsad, separatione agitur i. e. de separatione posterorum Joktan (qui postea Arabiam meridianam incolebant) a posteris Peleg, ut inde in libro Genesis una gens Peleg (Abraham) respiciatur, ut cui se deus patefaciat.[4] Rursus alii locum allatum ad gentem Joktan solam pertinere arbitrantur.[5]

[1] Sem centum annos natus erat, cum Arpachsad genuit, duobus annis post diluvium (Gn 11, 10). Ab Arpachsad igitur tempus post diluvium initium capit. Sequentes patriarchae, qui post diluvium usque ad Peleg fuerunt, secundum textum Hebraicum ante filios natos vixerunt

(post diluvium 2 annis)		
Arpachsad	35 annos	(v. 12)
Selah	30 annos	(v. 14)
Eber	34 annos	(v. 16)
	101 annos	

[2] Quin ea divisio hîc intellegenda sit, dubium non est. Utique *pâlag* est aliud verbum atque *pûṣ*, quod de dispersione hominum confusione linguarum exorta Gn 11, 4.8 usurpatur. Sed ad nomen Peleg explicandum non aliud verbum nisi *pâlag* adhiberi potuit, cuius perfectum Niphʿal loco Gn 10, 25 est ἅπαξ λεγόμενον (1 Ch 1, 19 enim est repetitio textus Gn 10, 25).

Alii Noahidas aetate Peleg terram inter se divisisse putant. At id propterea vix est probabile, quia non verbum *ḥâlak* usurpatum est, quod secundum locos Nm 26, 53. 55s; Jos 14, 5; 18, 10; 19, 51 exspectatur, cum verbum *pâlag* proprie „diffindere, discindere" valeat. Alii rursus vocabulum *hâ-ʾâreṣ* ad regionem, quam filii Eber incolebant, referunt; quam regionem i. e. eius populum tum emigrasse, cum Joktanidae ad meridiem profecti in Arabia meridiana consederint.

Nonnulli locum Gn 10, 25 ad gentium dispersionem propter linguarum confusionem exortam (Gn 11, 1—9) referunt.* Quod probari non potest. Nam maiori filio Eber nomen Peleg propterea impositum esse plane dicitur, quod eius diebus divisa sit terra, non quod dispersi sint homines. Significatur igitur Peleg nato i. e. quinta post diluvium generatione homines tam numerosos fuisse, ut non amplius simul habitare possent ac discedere cogerentur. Atque Gn 10, 25 ad Gn 11, 1—9 pertinere non posse vel inde perspicimus, quod eo loco linguae aetate Peleg confusae esse non dicuntur. Neque probabile videtur brevi temporis spatio, quod a diluvio usque ad natum Peleg praeteriit, terram Sinʿar occupatam, urbem turrimque aedificari coeptam, homines in varias regiones dispersos esse. Sequitur, ut falso narratio Gn 11, 1—9 explicatio loci Gn 10, 25 intellegatur.

[3] Velut F. Kaulen (Die Sprachverwirrung zu Babel. Linguistisch-theologische Untersuchung über Gn 11, 1—9. Mainz 1861) affirmat Gn 11, 1—9 de universo genere humano agi. Quod unâ eâdemque linguâ locutum esse et a primis sedibus in terram Sinʿar migrasse. Eam terram pro cunis totius generis humani habendam esse omnesque linguas e lingua hominum tum ibi habitantium manasse. — Sed quamquam concedendum est rationes, quibus ea interpretatio nititur, spernendas non esse, tamen eos quoque, qui loco allato tantum de separatione unius gentis Semiticae ob linguarum confusionem factâ agi dicunt, gravibus causis impulsos id affirmare negari non potest.

[4] Ita A. Hammerschmid, Die Sprachverwirrung zu Babel (Theologisch-praktische Monats-Schrift VIII, 1898, 1—15. 89—101. 158—169. 228—240).

[5] Velut O. Happel (BZ, I, 1903, 225—231; II, 1904, 337—350; III, 1905, 17—31) putat narrationem de aedificatione urbis cum turri a Gn 11, 2 coepisse et hunc locum Gn 10, 30 excipere, ubi Joktanidae in oriente habitare dicuntur. Inde in terram Sinʿar profectos esse, ubi consederint et consilium ceperint urbem cum alta turri aedificare i. e. magnum regnum condere. Quod deum ad vanum redegisse, non eum regnum (urbem cum turri) deleverit, id quod nusquam dicatur, sed eum fecerit, ut variae tribus, quae id consilium ceperint, invidiâ atque aemulatione adductae inter se in certamen venirent. Quare eas tribus inter se discessisse atque nonnullas in diversa loca abisse.

Adnotatio. — A. Šanda (Moses und der Pentateuch 163 [Alttestamentliche Abhandlungen IX, 4—5] Münster i. W. 1924) narrationi Gn 11, 1—9 fortasse factum antiquissimum subesse putat. Sumerios paulo post Babyloniam

---

* Conferas G. Brunengo, L'impero di Babilonia e di Ninive (Prato 1885), I, 160. G. Hoberg, Die Genesis nach dem Literalsinn erklärt[2] (Freiburg i. Br. 1908) 125s. E. König, Die Genesis (Gütersloh 1925) 419. H. Zschokke-J. Döller, Historia sacra veteris testamenti[7] (Vindobonae-Lipsiae 1920) 54.

occupatam consilium cepisse urbem (Tintir = Babel) constituere atque magnum imperium in Asia anteriore condere. Propter dissensiones autem civiles urbem exaedificatam non esse et multos Sumerios in alias regiones emigrasse. Quare in Babylonia multas et parvas civitates ortas esse, quas raro omnes unus princeps ad tempus in dicionem suam redegerit. Iisdem dissensionibus Sumeriorum fortasse factum esse, ut gentes Semiticae in Babyloniam invaderent. Narrationem biblicam eo spectare, ut nisi deo iuvante nihil prospere eveniat (Ps 127, 1). Nomine vero Jahvae scriptorem biblicum, ut hunc omnibus gentibus superiorem esse declaret, de industria uti.

II. Si ponimus, quod etiam probabilius videtur, tantum partem posterorum Noah in planitiem Sin'ar descendisse ibique consedisse, quaeritur, cognoscine ex sacris litteris aliquo modo possit, ad quam gentium familiam primi eius incolae pertinuerint. Ad quam quaestionem solvendam unus locus in sacris litteris invenitur, Gn 10, 8—12, ubi Nimrod[1] ex Ham oriundus regnum Babylonium et Assyrium condidisse dicitur, ex quo sequitur, ut Hamitae (si non omnes, attamen magnam eorum partem) Babyloniam obtinuerint. Neque dubium esse videtur, quin incolae Babyloniae, quorum loco allato mentio fit, iidem atque Sumerii existimandi sint.[2] Gn 10, 8—12 igitur partem historiae Sumeriorum continet eamque antiquissimam omnium, quae de ea gente ad memoriam nostram pervenerunt.[3]

Sumerii igitur primi incolae Babyloniae fuisse videntur. Atque in Babylonia meridiana certe antiquissimis temporibus soli incolae fuerunt. Cum autem in Babylonia quoque septentrionali (aliqua ex parte etiam in Assyria) regibus antiquissimis Sumerica nomina et Sumerica forma sint, ex nonnullorum opinione fortasse existimare possumus Sumerios etiam Babyloniae septentrionalis primos incolas fuisse.[4]

[1] Nomen Nimrod nunc apud Babylonios quoque inventum est. Nam pro nomine dei *Nin-ib* secundum textum quendam *Ni-urta* dicebatur; unde primum *Nimurta* (= *Niwurta*), deinde *Niwušta*, apud Aramaeos autem אנושת = *'Inwušta* manavit. Sed 'Aleph prostheticum quo modo explicandum sit, adhuc non constat. Fortasse a vulgo *'Inwušta* vel *'Iniwušta* pro *Niwušta* pronuntiabatur. *Nimurta* autem idem est atque Hebraicum *Nimrôd* (cf. H. Zimmern, Akkadische Fremdwörter als Beweis für babylonischen Kultureinfluß[2] 15. Leipzig 1917. A. Ungnad in OLZ, XX, 1917, 1—7). Quod unum obstabat, quod quae in libro Genesis de Nimrod narrantur, in Babylonium Nimurta non quadrabant, id M. Witzel (Der Drachenkämpfer Ninib [Keilinschriftliche Studien 2] Fulda 1920) explicavit, ut omnes difficultates prorsus sublatae sint. Nam cum Nimurta non modo draconem, sed etiam omnia monstra, quae huic serviebant, interfecisset, Nimrod quoque Babylonius „strenuus venator (Hebr. *gibbôr ṣajid*) coram Jahve" (Gn 10, 9) erat. Ceterum nomen Nimrod originis Sumericae est = *Nu-Marad* i. e. vir vel heros ex Marad, antiquissima urbe Sumerica (Frd. De-

litzsch, Wo lag das Paradies? 220. S. Landersdorfer, Sumerisches Sprachgut im AT 19s).

[2] E. König, Geschichte der alttestamentlichen Religion[4] (Gütersloh 1924) 16. cf. 7.

[3] Conferas A. Deimel, Nimrod. Gen 10, 8—12 (Orientalia, nr. XXVI, 1927, 76—80).

[4] At respiciendum est solis nominibus Sumericis principum Sumericam eorum originem demonstrari non posse.

His praemissis inquirendum est, quid monumentis antiquis de primis Babyloniae incolis memoriae tradatur. Qua in re dicendum est ex iis quaestionem pro certo solvi non posse. Nam ad populum pertinent, qui quinto a. Ch. n. millennio, ex quo antiquissima eius monumenta repetuntur,* iam ad altum gradum cultus atque humanitatis pervenerit, ut eorum vetustas ad quaestionem illam solvendam non sufficiat. Ex effossionibus autem in Babylonia (imprimis in Telloh atque in ruinis urbis Nippur) factis apparet ibi duos populos et genere et linguâ distinctos fuisse, qui a regionibus, quas praecipue incolebant, Sumerii et Akkadii appellantur. Atque in operibus sculpturae, etiam antiquissimis, facile discerni potest, quae statuae Sumericum, quae Akkadicum i. e. Semiticum typum repraesentent. Nam apud Sumerios viri neque capillos neque barbam (ad bestiolas molestas arcendas) gestabant, mulieres autem comatae erant. Tantum in nonnullis monumentis antiquissimis et rudissimis capita cum capillamento atque longa barba genis et mento demissa adspiciuntur, quae Sumeriorum esse videntur. Eannatum quoque, rex urbis Lagaš, capillamentum gestabat (item eius milites in pugna), cum eius decessores et successores calvi appareant. Contra Akkadii, sicut omnes Semitae, comati erant et barbam promittebant. Quare in inscriptionibus „populus nigri capitis" appellantur. Velut in narratione de rege Šarrukìn (Sargon) I dea Ištar ei regnum super *niši salmat ḳaḳḳadi* i. e. super populum nigri capitis dedisse dicitur (KB, III, 1. p. 102, 21). Praeterea Sumerii naso valde prominente, recto, non tamen corpulento, sicut Semitae, sunt. Linea nasi ipsa cum fronte, quae saepe est demissa iungitur. Os parvum est, labia arta et tenuia, mentum breve. Quare in operibus sculptis capita Sumeriorum sicut avium apparent. In veste quoque non parvum erat discrimen. Antiquiore tempore Sumerii tantum vestimento laneo, paulatim ornatiore, sed nullis pedum tegminibus utebantur.

* Monumenta quinti a. Ch. n. millennii non inscriptiones, sed opera sculpturae intellegenda sunt. Inscriptiones enim quartum millennium vix excedunt.

Postea Sumeriorum reges et principes genus quoddam togae, quae saepe ornata erat, gestabant. Sacerdotes, si ad deum accedebant, nudi erant. Feminae iam antiquissimis temporibus amiculum, quod super umerum sinistrum vel etiam super utrumque umerum iaciebatur, gestasse videntur. Denique praeter artis monumenta, ut fuisse Sumerios demonstretur, litterarum quoque monumenta antiquissimorum temporum afferri possunt, e quibus etiam linguam, qua ille populus loquebatur, cognoscimus, ita ut nemo iam dubitare possit, quin fuerit gens Sumeriorum.

Cuinam autem familiae gentium Sumerii adnumerandi sint, non liquet. Sunt qui existiment eos Aegyptiis cognatos fuisse, propterea quod Nimrod filius Kusch, fratris Mizrajim, appelletur (Gn 10, 8 et 6). Haud pauci viri docti sibi persuaserunt eos Ariis aut Turaniis cognatos esse. At Sumerios Ariis cognatos esse ab omni veritate abhorret, quoniam eorum lingua ab omnibus linguis Indogermanicis prorsus diversa est; neque Turaniis eos cognatos esse verisimile est. Sed ab iis quoque gentibus, quae a Graecis quinti et quarti a. Ch. n. saeculi Scythae nominantur, discernendi sunt. Etiam opinio Sumerios Mongolis, qui ab iis orientem versus habitant, cognatos esse, cum statuae hominum Sumericorum obliquo statu oculorum sint, sine magna veritatis specie est. Hodie multi viri docti Sumerios ulli genti nobis notae cognatos esse demonstrari posse negant et verisimile esse arbitrantur eorum originem semper in obscuro mansuram esse.

Interroganti, ubi antiquissimae sedes Sumeriorum quaerendae sint, F. Hommel (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 23s.) haec respondet: eas in regionibus, ubi antiquissima sacraria oceani caeli (*anun*, *anum*) et dei terrae sita fuerint, quaerendas esse. Cum in titulis antiquorum regum Babyloniorum ab anno a. Ch. n. 2800 verba „Sumer et Akkad" Babyloniam meridianam et septentrionalem significare videantur, Sumer autem ideogrammate scribi posset, quod „linguam sanctam" valeat, Babyloniam meridianam pro antiquissimis sedibus Sumeriorum habendam esse putasse. At verisimillimum esse verba „Sumer et Akkad" Chaldaeam (terram ab Euphrate inferiore occidentem versus sitam) et Babyloniam significare et in Chaldaea illa quoque sacraria inveniri: primum Nun-ki sive Eridu, „urbem oceani caeli" atque antiquissimum sacrarium dei terrae sive *En-ki*; deinde ab urbe Eridu haud procul septentriones versus, et quidem antiquissimis temporibus ad dextram Euphratis ripam, urbem Erech cum templo deae Ištar *E-anna* (= domus caeli), ubi initio, id quod e nomine templi appareat, deus caeli cultus sit; denique urbem Agade sive Akkad, cuius dea Anunit ab oceano caeli (*anun*) nomen acceperit. Sumerios vero iam antiquissimis temporibus ab urbibus Eridu et Erech non solum septentriones versus usque ad urbem Agade, sed etiam meridiem versus usque ad Arabiam orientalem (Magan)

et insulam Samak * multum valuisse inde effici, quod deorum nuntius Nabû in ea insula non nomen Semiticum, sed Sumericum gerat. Nam in inscriptione quadam ibi inventa eum deum, cui alibi nomen *En-zag* sit, *In-zag* (*In-za-ag*) appellari. Quae cum ita sint, Sumerios in Chaldaea et in finitima Arabia orientali et ante Semitas et unâ cum Semitis habitasse et prima sua sacraria exstruxisse putandos esse.

III. Ad quaestionem, utrum Sumerii in Babylonia indigenae fuerint an aliunde immigraverint, respondenda sunt haec:

Berosus, aequalis Alexandri Magni et sacerdos dei Bêl Babylone, memoriae tradit primo anno ex mari Erythraeo, ubi Babyloniam alluat, animantem ratione praeditum nomine Oannes venisse, qui homines omnes artes et litteras docuerit (Euseb. Chron. 1, 3 MSG 19, 109s.). Qua narratione fortasse significatur primos incolas Babyloniae e regione meridiana immigrasse.

Haud pauci viri docti eos ex Asia media in Babyloniam profectos esse existimant, id quod sacris litteris consentaneum esse dicunt, cum primos incolas „ab oriente" profectos planitiem in terra Sin'ar invenisse memoriae prodant (Gn 11, 2). Velut *L. Adametz*[1] primas sedes Hamitarum (Sumeriorum) in Afghanistân, Beludschistân, Perside, India inter septentriones et occasum solis spectante quaerendas esse arbitratur.

E. Meyer[2] existimat Sumerios (ut postea Gutaeos et Kassitas, postremo Persas) e montibus a Babylonia inter septentriones et orientem sitis, fortasse per valles 'Adhêm et Dijâla, in Babyloniam immigrasse; sed nihil obstare, quin eos a meridie eo pervenisse putes.

Atque Sumerios initio in regione montana, non in campis Babyloniis habitasse perspicimus e vocabulo Sumerico, quod templum significat, *e-kur* (= domus montis), e nomine deae urbis Opis (Upî), *Nin-ḫarsag* (= domina montis), e cognomine dei urbis Nippur Enlil, dei maximi Sumeriorum, *lugal kurkura* (= rex montium), qui deus apud Semitas Bêl vocatur et cognomine *šadû rabû* (= mons magnus) honoratur. Ninâ quoque, dea puteorum et aquarum, „domina fatorum", semel „domina montis sancti" nominatur.[3]

A. Ungnad[4] Sumeriorum scripturam imaginibus expressam, e qua scriptura cuneiformis manavit, non in Babylonia, sed tantum

* *Samak* (= piscis), Akk. *Nituk*, *Dilmun*, *Tylos* veterum est una eaque maxima (41 km × 15 km) ex insulis Baḫrain sive Aval in sinu Persico sitis. A continente (Arabia) 30.4 km distat. Ceterum nomen insulae Nituk fortasse terram quoque ei oppositam significabat. Conferas E. Durand, The islands of Bahrein (JRAS, N. S. XII, 1880, 189—227). B. Meißner in OLZ, XX, 1917, 201—203.

in regione quadam montana ortam esse posse existimat. Velut signum KUR, quod initio et montem et terram valeat et tria montium cacumina reddat, in regione quadam montana ortum sit necesse esse. Item nomina Sumerica ventorum non in caelum Babyloniae quadrare. Atque ex aliis quoque causis patriam Sumeriorum in Turan sive Turkistan occidentali quaerendam esse.

[1] Herkunft und Wanderungen der Hamiten, erschlossen aus ihren Haustierrassen. Wien 1920.

[2] Geschichte des Altertums [3]I, 2 (Stuttgart-Berlin 1913) 437s.

[3] Conferas A. Šanda, Moses und der Pentateuch 163. 408.

[4] Wesen des Ursemitischen. Eine sprachgeschichtlich-psychologische Untersuchung (Leipzig 1925) 25s. Sumerische und chinesische Schrift (Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes XXXIV, 1927) 78s.

IV. Sumerii erant gens bellicosa. Gestabant hastam et magna quadrataque scuta metallo inducta. Caput galea (e corio facta?) ita tegebat, ut cervices quoque opertae essent. Item bipenni et pilo utebantur. Principes (nonnunquam etiam dii) praeterea falcem metallicam subtili acie (dii haud raro clavam quoque cum capitulo lapideo) gestabant. Duae tales falces in ruinis Telloh (in sepulcro quodam) inventae sunt. Arcus autem, quo Semitae (praeter hastam) potissimum utebantur, Sumeriis ignotus erat.

Rex ipse copias in bellum duxit. Insigne dignitatis eius plerumque est gladius aeneus curvus, telum autem, imprimis si de essedo pugnat, longa hasta vel breve iaculum. Esseda duarum rotarum aetate Sumeriorum rara erant et plerumque soli duces iis utebantur. Ad corpus tutandum rex praeter tunicam vellus super umero sinistro positum, in capite cassidem vel galeam gestabat. Signa quoque usitata fuisse stelae regis Gudea ostendunt.

Iam ex aetate Šarrukîn, regem urbis Agade (2637—2582), antecedente imagines et inscriptiones, quibus de rebus bellicis Sumeriorum docemur, habemus. Reges quoque urbis Agade de expeditionibus se regnantibus factis narrant. Item Gudea memoriae tradit, quo modo terrae Anšan (quae est septentrionalis pars terrae Elamitarum Mediam attingens) bellum intulerit. Praeterea etiam arma, pugiones et gladii aetatis eius reservata sunt.

V. Sumerii non diu soli Babyloniam incoluerunt, quod eius terrae fecunditate et nomades deserti et incolae montium semper vehementer allecti sunt. Atque iam mature gentes Semiticae eo invaserunt,[1] quae primo in septentrionali Babyloniae parte (Akkad)

consederunt, ubi iam eo tempore, quo res gestae memoriae tradi coeptae sunt, inter incolas plurimum valebant. In Babylonia autem meridiana (Sumer) Sumerii perdiu principatum obtinuisse videntur. Quae gentes Semiticae a Sumeriis, qui in omni cultu atque humanitate multum profecerant, non solum cultum profanum, sed etiam multas opiniones religionis atque in rebus sacris vel linguam mutuatae sunt.[2]

[1] H. Winckler (Die Völker Vorderasiens[2] [AO, I, 1] 14s. Leipzig 1903) existimat Semitas inter annos a. Ch. n. 3500 et 3200 in Babyloniam immigravisse. O. Weber (Arabien vor dem Islam[2] [AO, III, 1] 4. Leipzig 1904) arbitratur iam quinto a. Ch. n. millennio Sumerios gentibus Semiticis, quae Babyloniam invaserant, succubuisse. Exeunte tertio millennio iterum gentes Semiticas ex Arabia immigrasse atque regnis „antiquorum Babyloniorum" finem fecisse.

Sumerios circa annum 3000 maximam partem Babyloniae imperio tenuisse constat. Eo autem tempore Semitae quoque nonnullas urbes iam incoluisse videntur, quia earum dii originis Semiticae sunt. Velut *Sin* vel *Nannar*, deus lunae urbis Ur. In ea autem re observandum est signa scripturae nominum eorum saepe ideogrammata esse, quae vel Sumerice vel Semitice legi possunt, atque nos saepe nescire aut non pro certo scire, quo modo pronuntiata sint. Ut deus lunae urbis Ur signis *En-zu* scribitur, quibus eius nomen Sumericum vix redditur, sed potius „dominus sapientiae" significatur. Deus solis urbis Larsa Sumericus fuisse et nomen *Babbar* vel *Utu* gessisse videtur, cum deo solis urbis Sippar semper nomen *Šamaš* fuisse existimandum sit. Qua in re ut verum reperiatur, amplius requirendum est.

[2] Sumerios primos Babyloniam occupasse, postea Semitas immigrasse atque diuturnis bellis Sumerios subegisse cum aliis tum his rationibus demonstratur: Ac primum quidem non est dubium, quin Sumerii scripturam cuneiformem, si eam non invenerunt, certe iam ante Semitas possederint, Semitae autem eam a Sumeriis receperint. Item cultum profanum Semitarum, qui Babyloniam invaserunt, quamquam suam linguam suumque ius Sumeriis inculcaverunt, originis Sumericae fuisse constat. Deinde gentes illae Semiticae non solum linguam Sumericam in rebus sacris retinuerunt, sed etiam Sumeriorum deos, mythos, cultus receperunt (H. Zimmern in KAT 349). Atque inter plus quam tria milia deorum dearumque Babyloniorum originis Semiticae (exceptis *Amurru* = *Bêl šadî* i. e. domino montis = Baʿal Libani eiusque coniuge *Ašratu* = *Bêlit ṣêri* i. e. domina deserti et *Dagan*, qui cum Dagôn aequandus est)* ne unus quidem deus, qui Semitarum proprius est, exstat. Antiquissimum et celeberrimum Babyloniorum sanctuarium E-kur deo En-lil consecratum Sumericae est originis (M. Jastrow, Die Religion Babyloniens und Assyriens I, 53s.). Tum certa exstant indicia, quibus Sumerios aliquando non solum meridianam Babyloniae partem, sed etiam septentrionalem incoluisse efficitur.** Nomina quoque urbium,

---

* Utrum autem *Rammân* (Hadad), deus tempestatum, deorum Sumeriorum sit an eius opinio cultusque posteriore demum tempore apud Babylonios Semiticos ipsos exstiterit, pro certo reperiri non potest.

** Praeter Babyloniam Semitae in Mesopotamia quoque, quae proprie dicitur, et quidem in regione a Babyloni septentriones t septentriones occidentemque versus sita, iam mature consederunt. Quae regio Sumerice *Šubir*, Akkadice *Šubartu* eiusque antiquiores incolae *Šubari* appellantur. Ii n n, id quod diu putabantur, Hc haeis cognati sunt, cum incolae terrae Mitanni, qui postea ibi re-

quae temporibus historicorum fide contestatis praecipuae sedes Semitarum erant, ut Babel et Akkad, Sumericam prae se ferunt etymologiam. Erat igitur tempus, quo Sumerii multo maiorem partem Babyloniae possederunt quam postea. Procedente autem tempore a Semitis magis magisque in meridianam Babyloniae partem repulsi sunt, dum cum Semitis in unius populi corpus coaluerunt.

Gentibus illis Semiticis a viris rerum Babyloniarum peritis nomen „Akkadii" (*Akkadû*) inditum est idque iure. Nam postquam textus VAT 1200, qui aetate Samsu-ditana, ultimi regis primae domus regnatricis Babyloniae (1788—1758), conscriptus est, innotuit,* dubitari non potest, quin Akkadii intellegendi sint Semitae, qui in Babyloniam immigraverunt. Eorum lingua („lingua terrae Akkad") in eo textu bilingui Semiticâ textus Sumerici conversione significatur. Atque textus K 14013 (suppletus per K 11856) Sumericâ et Semiticâ linguâ conscriptus hanc continet adnotationem: *ki-ta eme tilla-ki an-ta eme-ku* (*sap-liš*) *ak-ka-da-a e-liš šu-*(*meri*) i. e. inferius Akkadice, superius Sumerice. Lingua igitur Akkadica intellegenda est lingua Semitica Babyloniorum et Assyriorum inscriptionibus cuneiformibus expressa, quae adhuc plerumque minus recte „Babylonia" vel „Assyria" nominabatur.[1] Haud dubie Akkadii multis saeculis exactis cum Sumeriis in corpus unius gentis, quae formam Semiticam prae se ferebat, coaluerunt. Babylonii igitur antiqui sunt gens mixta, quae a Sumeriis, Semitis, qui procedentibus saeculis in Babyloniam immigraverunt, praeterea haud dubie Kassitis aliisque gentibus orta est.[2]

[1] Cum regnum Akkad („terra Akkad"), quod rex Šarrukîn (2637—2582) condidit, prima respublica Babylonia esset, ubi linguâ Semiticâ loquebantur, ea lingua iure „Akkadica" nominata est. Neque ullo modo verisimile est eam iam antea sub alio nomine in Babylonia in usu fuisse, quoniam linguarum nomina non mutantur. Accedit, quod ne aetate quidem Ḫammurapi, quamquam semper id agebatur, ut appareret, quanti momenti Babylonia esset, nomen antiquum mutatum est, sed lingua Semitica postea quoque „Akkadica", non „Babylonia" nominabatur. Id e textu VAT 1200 orto perspicimus: 11 lineae textus Sumerici; linea 12: *ak-ka-du-ša*; lineae 13—22 conversionem Semiticam continent.

[2] Nomine „Chaldaeorum" non gentes illas Semiticas, quae progrediente tempore in Babyloniam invaserunt, sed gentem quandam Aramaicam, quae ineunte primo a. Ch. n. millennio in meridianam Babyloniae partem ingressa anno 625 imperium totius terrae occupavit, significare iam dudum demonstratum est. Berosus autem nomine *Χαλδαίων* antiquissimos quoque Babyloniae incolas appellat;

---

gnabant, ad eos pertinent. Praeterea Semitae in urbe Assur (Ašur) ad medium flumen Tigridem sita consederunt. Unde et in orientem et in occidentem et in septentriones orientemque longius progressi sunt. In urbe Haran deo lunae Sin antiquitus sacrarium fuit.

* Quem textum L. Messerschmidt in OLZ, VIII, 1905, 268—273 edidit.

nomina *Βαβυλωνία* et *Χαλδαία* inter se permutat; *Βαβυλωνίους* autem solos incolas urbis Babylonis nominat.

Adnotatio. — E. Meyer (Sumerier und Semiten in Babylonien. Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften 1906, III, 1—125) Sumerios et Semitas iam ex antiquissimis temporibus in Babylonia unâ habitavisse et bonis cultus humanitatisque inter se adiuvisse existimat; Babyloniis originis Semiticae eorumque cultui et humanitati parem vetustatem ac Sumeriis adscribendam esse. Atque alio loco (Geschichte des Altertums I³, 2, 437) arbitratur eos, qui incolas Babyloniae quinto et quarto a. Ch. n. millennio Semitas fuisse atque a Sumeriis, qui eo immigraverant, subactos esse putant, non minus iustis causis inniti quam eos, qui Sumerios primos Babyloniae incolas fuisse atque a gentibus Semiticis, quae eo immigraverant, subactos esse existimant.* Semitas autem primos Babyloniae incolas fuisse ex modo, quo Sumerii deos finxerint, colligendum esse putat. Ex antiquissimis deorum imaginibus constare Sumerios iis formam a sua ipsorum diversam i. e. Semiticam dedisse. Nam Sumerios deos (velut deum Ningirsu in „stela vulturis") cum crinibus calamistratis et barba finxisse, quod apud Semitas in usu fuerit. Quod simplicissime ita explicari, ut Sumerii post Semitas in Babylonia consederint. Praeterea E. Meyer putat urbem Nippur sedem antiquissimam cultus summi dei Semitici Bêl fuisse, qui, etsi eum Sumerii En-lil appellaverint, tamen a deo Semitico prorsus diversus sit.

Ad quae dicenda sunt haec: Negari non potest deos Sumeriorum antiquissimis temporibus capillatos et barbatos fingi, sed non omnes. Exstant enim imagines deorum, quamvis paucae sunt, cum capitibus plane rasis. Atque ii quoque dii, qui cum barba finguntur, tam diversum a Semitico prae se ferunt typum, ut potius Sumeriorum proprii esse quam Semitarum exempla imitari videantur. Praeterea nunc plane comprobatum est En-lil, qui in urbe Nippur colebatur, non Semitarum, sed Sumeriorum fuisse deum, a Semitis autem inde a prima domo regnatrice Babylonia usque ad Persarum aetatem Sumerico nomine appellatum esse.** Quae cum ita sint, E. Meyer (Geschichte des Altertums I³, 2, 438) plane aperteque confitetur, cum demonstratum sit deum urbis Nippur nunquam Bêl, sed semper En-lil vocatum esse i. e. semper nomen Sumericum, nunquam Semiticum gessisse, quae ipse ex nomine Bêl concluserit, irrita esse.

Ceterum videas B. Meißner, Sumerer und Semiten in Babylonien (Archiv für Orientforschung V, 1928, 1 ss.). A. Jeremias, Handbuch der altorientalischen Geisteskultur² (Berlin-Leipzig 1929) 1 ss.

VI. Unde Semitae in Babyloniam immigraverint, non magis pro certo diiudicari potest quam quae fuerit prima eorum patria.

J. Guidi in commentatione, quae inscribitur „Della sede primitiva dei popoli semitici" (Memorie della reale accademia dei Lincei. Classe di scienze morali, storiche e filologiche. Vol. III. Roma 1879) Babyloniam ipsam primam Semitarum sedem fuisse demonstrare conatus est: Cum omnes Semitae communi vocabulo, quo „magnum flumen" et „mare" appellarent, utantur, sed „montem" variis vocabulis notarent, primam eorum sedem non terram montanam

* A. Deimel quoque (Šumerische Grammatik der archaistischen Texte 4 (Orientalia IX—XIII) Rom 1924) nondum constare existimat, utrum Sumerii an Semitae primi incolae Babyloniae fuerint.

** A. T. Clay, Enlil the god of Nippur (AJSL, XXIII, 1907, 269—279). A. Deimel, Pantheon Babylonicum (Romae 1914). nr. 356. p. 75. Videas etiam F. Nötscher, Ellil in Sumer und Akkad. Hannover 1927.

fuisse posse, sed vel ad flumen aliquod vel ad mare sitam fuisse necesse esse; atqui Babyloniam magna quidem flumina, sed nullos montes habere atque a meridie mare penitus in terram incurrere. Deinde omnium fere Semitarum vocabulum commune esse, quo „paludem" significarent, quod proprie „arundinem" valeat (*agam* = palus arundine obsita); terram autem, ubi multae essent paludes atque ingentes arundines crescerent, Babyloniam esse. Vocabulum, quod „desertum" valeat, in lingua Arabica locum terribilem sine aqua significare; Hebraeos autem, Assyrios, Aramaeos eodem vocabulo ita uti, ut eo agrum pascuum nominarent; quod in planitiem Babyloniam pascuorum plenam quadrare. Accedere, ut lateres et bitumen, quibus incolae Babyloniae ad aedificia exstruenda usi essent, in omnibus linguis Semiticis eodem vocabulo significarentur. Metalla, quae Semitae in prima sede novissent, aurum et aes, non argentum, plumbum, ferrum fuisse; atqui in Babylonia aurum quidem et aes nota, sed argentum ignotum fuisse, plumbum vero et ferrum posteriore demum tempore importata esse. Ficum, oleum, vinum, cum in Babylonia domestica non essent, Semitis ignota, arare autem omnium Semitarum commune fuisse. — Sed has aliasque rationes a J. Guidi pro illa opinione allatas non sufficere inter omnes constat.

Sunt qui existiment gentes illas Semiticas, quae posteriore parte tertii a. Ch. n. millennii in Babyloniam immigraverunt, ex „terra occidentali" (ex Canaan, Phoenice, Syria) venisse* atque ex iis etiam duodecim tribus Israelitarum profectas esse. Quod si recte se habet, patria maiorum Abraham (de qua in libro Genesis nihil memoriae proditur, ut vel in Babylonia indigenae vel posteri familiarum, quae prius eo immigraverint, esse possint), Canaan existimanda est et Abraham ipse, cum ex Ur-Kasdim in urbem Haran indeque in terram Canaan proficisceretur (Gn 11, 31—12, 5), in terram maiorum revertit, Cananaei autem, inter quos posteri Abraham postea versati sunt, gens iis cognata sunt. — At multi viri docti eam opinionem recte se habere negaverunt. Respiciendum enim est veteri testamento nihil inesse, quod ei faveat, non nihil autem, quod ei repugnet. An non Cananaei in sacris litteris semper ab Israelitis discernuntur? Velut in narratione de Abraham immigratione in terram Canaan dicitur: „Cananaeus tunc erat in terra" (Gn 12, 6). Iam ab antiquissimis temporibus Israelitae Cananaeos et religione et moribus superare sibi videbantur (cf. Gn 9, 22; 19, 5; 20, 11. al.). Atque nomine „Cananaei" is homo Israelita appellabatur, qui a via probitatis discesserat (Hos 12, 8), et „Cananaeus" e domo Jahvae expellitur (Sach 14, 21). Neque Abraham neque Israelitae, qui duce Josua in terram Canaan immi-

---

* Velut H. Winckler (Geschichte Israels in Einzeldarstellungen I, 130. Leipzig 1895) eas gentes Semiticas ex terris a Babylonia occidentem versus sitis ortas esse eo demonstrari existimat, quod nomina undecim regum primae domus regnatricis Babyloniae, quae ad eas gentes pertineat, nequaquam Babyloniae originis sint. Quae nomina sunt: Sumu-abu, Sumu-la-ilu, Zabium, Apil-Sin, Sin-muballiṭ, Ḫammurapi, Samsu-iluna, Abi-ešuḫ, Ammi-ditana, Ammi-zaduga, Samsu-ditana. Duo nomina, Apil-Sin et Sin-muballiṭ, sine dubio „Babylonia", nomen Zabium „vix Babylonium", nomina Ḫammurapi et Ammi-zaduga „linguae peregrinae", cetera nomina, „Canaanaeae originis esse". Qua de re P. Jensen (Christliche Welt 1902, nr. 21) negat demonstrari posse ullum ex illis nominibus non linguae Akkadicae esse; immo vero omnia nomina, etiam cum *ammi* et (*ḫ*)*ammu* composita, ex ea lingua duci posse. Illud quoque respiciendum esse plurimas domus regnatrices Babylonis antiquioris temporis ex *Babylonia meridiana* oriundas esse, sed primam domum regnatricem, quae vocatur, secundum indicem regum quendam Babylonium *Babylone* indigenam esse, ut originis Canaanaeae esse non possit.

graverunt, Cananaeos gentes sibi cognatas agnoverunt.* Israelitas a Cananaeis diversos fuisse ex eo quoque apparet, quod Cananaei dei iussu ab Israelitis, cum terram promissam possiderent, expellendi et usque ad internecionem percutiendi erant (Ex 23, 29s; 33, 2; 34, 11. al.). Ad hoc quod prophetae cultum a Cananaeis exercitatum impugnabant et quod matrimonia cum „gentibus terrae" inire non licebat, ab opinione Canaanaeae originis maiorum Israelitarum abhorret. Si porro verum est eas gentes Semiticas, quae ex terris ad occidentem versus sitis in Babyloniam immigrasse dicuntur, religionem professas esse, quae pro quodam monotheismo („monotheismo obscurato") habenda sit, explicari non potest nos apud Cananaeos earum cognatos nulla monotheismi vestigia reperire; immo vero Cananaei multorum deorum cultui, qui obscenum in modum exercitabatur, dediti erant neque adhuc demonstratum est nomen Jahvae iis notum fuisse. In Aegyptiorum quoque monumentis litterarum incolae terrae *Ku-n-'na* a gente „Israel" (*Isiraal*)** discernuntur. Item in epistulis Amarna Cananaei (*Ki-na-ḫa-ai-u*) sive incolae terrae *Ki-na-aḫḫi* vel *Ki-na-aḫ-ni(na)* et Ḫabiru distinguuntur. Qui Ḫabiru in epistulis ab Abdi-ḫiba,*** praefecto Aegyptio Hierosolymorum, ad Pharaonem missis (ep. 285—290 in VAB, II, 1 = ep. 179—185 in KB, V) commemorantur. In iis de latrociniis queritur, quae a Širi (Sêʿîr = terra Edom a mari mortuo meridiem versus sita) aliisque regionibus terrae Canaan, qua in meridiem spectat, contra Urusalim, Ajaluna, Lakiš, alias urbes facta sunt. Atqui in Širi et regionibus finitimis tum Edomitae, Ismaelitae, Midianitae, cognatae gentes, ergo posteri Abraham „Hebraei" (Gn 14, 13) habitabant.

Cum linguas gentium Africae septentrionalis (imprimis linguam Aegyptiam) linguis Semiticis cognatas esse demonstratum sit, alii (velut C. Bezold - C. Frank, Ninive und Babylon[4] 7s. Bielefeld-Leipzig 1926) migrationem gentium Semiticarum ab Africa septentrionali initium cepisse coniciunt. — At iam H. Ewald (in „Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1871, 215) demonstravit Semitas ex Africa in Asiam immigrasse a vero prorsus abhorrere.

Multi viri docti Arabiam Semitarum patriam („cellam gentium Semiticarum") esse dixerunt.† At complura afferri possunt, unde

* Abraham atque Israelitas, qui duce Josua in terram Canaan immigraverunt, Cananaeos gentes sibi cognatas esse non iudicavisse nonnulli inde explicant, quod gentes, quae circa annum a. Ch. n. 2500 in terra Canaan remanserunt, et gentes, quae in Babyloniam emigraverunt, saeculis proc dentibus in cultu atque humanitate diver e progressae sunt. Etsi autem Israelitae Cananaeos in religione et moribus superare sibi viderentur, tamen fieri potuisse, ut duae illae gentes inter se cognatae fuerint.

** Ita nomen Aegyptium transcribit A. Wiedemann.

*** Rectius Putiḫepa. Conferas A. Gustavs in OLZ, XIV, 1911, 341—343.

† Inter qu s A. H. Sayce (An assyrian grammar for comparativ purposes 13. London 1872), E. Schrader (Die Abstammung der Chaldäer und die Ursitze der Semiten. ZDMG, XXVII, 1873, 421), A. Sprenger (Die alte Geographie Arabiens als Grundlage der Entwicklungsgeschichte des Semitismus. 293 Bern 1875), M. J. de Goeje (Het Vaderland der Semietische Volken. Leiden 1882), Th. Nöldeke (Die semitischen Sprachen[2] 13. Leipzig 1899), O. Weber (Arabien vor dem Islam 3. 6 (AO, III, 1) Leipzig 1902), H. Winckler (Die Völker Vorderasiens 10 et KAT 136), C. Brockelmann (Semitische Sprachwissenschaft[2] 17 (Sammlung Göschen 291) Berlin 1916). — F. Hommel prius ille quidem Arabiam pro patria Semitarum habendam esse negavit (Die Namen der Säugetiere bei den südsemitischen Völkern 406—413. Leipzig 1879. Die Semiten und ihre Bedeutung für die Kulturgeschichte 20. 63. ib. 1881), sed nunc,

apparet non in Arabia, sed in ea parte Asiae anterioris, quae a Babylonia ad septentriones et orientem spectat, Semitarum patriam quaerendam esse atque ex ea regione eos in Babyloniam immigrasse. Ac primum quidem in singulis linguis Semiticis cum struthocamelus varie appelletur (velut in lingua Hebraica *jâʿên*, fem. *jaʿanâ*, in lingua Arabica *naʿam*), ea avis Semitis tum, cum nondum in varias gentes divisi erant, ignota erat. Atqui Arabia patria struthocameli est. Ergo alia terra prima patria Semitarum existimanda est. Contra ursus, qui in Arabia non est vernaculus, in omnibus linguis Semiticis eodem nomine significatur (Hebr. *dôb*, plur. *dubbîm*, Aram. *dubbâ*, Arab. *dubbun*, Syr. *debbâ*, Aeth. *deb*). Patria igitur Semitarum terra est, ubi ursi exstabant. Ea autem non Arabia erat. Neque si Semitae a meridie et solis occasu in Babyloniam immigraverunt, explicari potest, cur nomen Arabicum palmae (*tamrun*, cf. *itmaʾárra* = erectum esse) in lingua Akkadica desit. Deinde respicias in Assyria Semitas plus valuisse quam in Babylonia. Denique commemorandum est in tabula gentium Semiticarum (Gn 10, 21—31) Arabiae nullam mentionem fieri, cum alio loco tradatur Aramaeos e regione Kîr immigrasse (Am 9, 7), quam regionem ad fluvium Cyrum[1] inter pontum Euxinum et mare Caspium interiectam esse probabile est. Quamquam negari non potest, postquam Semitae in varias gentes se diviserunt partem eorum in Arabia consedisse eamque „cellam gentium" Asiae anterioris ita factam esse, ut ab Arabia postea saepius gentes Semiticae in diversas regiones proficiscerentur.[2] Ceterum de hac re adhuc disputatur.

[1] *Cyrus* (*Κῦρος* et *Κύρρος* Ptolem. Geogr. 5, 12. 13. hodie *Kura*), maximus fluvius Transcaucasiae, ab occidente inter urbes Baku et Lenkoran in mare Caspium influit et regioni circumiacenti nomen dedit.

[2] Conferas E. König, Hebräisch und Semitisch. Prolegomena und Grundlinien einer Geschichte der semitischen Sprachen (Berlin 1901) 123—125. Die Genesis 419s. R. Kittel, Geschichte des Volkes Israel I[6] (Stuttgart-Gotha 1923) 40. n. 1. J. P. Peters, The home of the Semites (JAOS, XXXIX, 1919, 243—260), qui dicit omnibus argumentis, quae hodie nobis praesto sint, philologicis, archaeologicis, historicis, probari Semitas non a paeninsula Arabica, sed ab Asia minore atque a regionibus inter Taurum et Euphraten sitis oriundos esse.

VII. Ineunte tertio a. Ch. n. millennio domus quaedam regnatrix e Semitis, qui in Babyloniam septentrionalem immigraverant,

---

ex qua terra Semitae in terras occidentales immigraverint, eam Arabiam orientalem et Chaldaeam ab Euphrate occidentem versus sitam esse iudicat (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 80. Conferas etiam The Sunday School Times 1895, nr. 41 et 43: Arabia according to the latest discoveries and researches).

oriunda, quae in urbe *Akkad* (Agade) sedem ac domicilium habebat, totam Babyloniam sub dicionem suam redegerat et *Šarrukîn I* (Sargon, 2637—2582), si textibus fidem habeas, non solum Elam regno suo adiunxit, sed etiam „terram occidentalem" (Amurru = Canaan, Syriam, Phoenicen) tribus bellis subegit simulque triginta urbes et unam in ora maris mediterranei sitas cepit. De eodem rege memoriae proditur eum mare ad orientem spectans (i. e. eas partes maris mediterranei, quae ad orientem vergunt) transgressum, tribus annis „occidentem" sub dicionem suam redegisse ibique statuis suis erectis multos captivos inde deduxisse (KB, III, 1, 103). Quae autem terra „occidens" intellegenda sit, utrum Cyprus an Creta an Africa septentrionalis non constat.[1] Filii regis Šarrukîn, *Rimuš* (2581—2573) et *Maništusu* (2572—2558), regnum a patre conditum sustinuerunt. Atque Maništusu etiam trans sinum Persicum triginta duobus regibus, qui copias suas coniunxerant, bellum intulit eosque vicit. *Narâm-Sin* (2557—2520), qui se in vase quodam ex alabastrite facto, quod Babylone inventum est, „regem quattuor mundi partium" nominat, Magan quoque et Meluḫḫa (i. e. Arabiam orientalem et occidentalem), Apirak, Lulubu, Dilmun (insulam sinus Persici) regno suo adiunxit.[2] Successore vero eius *Šar-kalî-šarrî* mortuo (anno 2496), cum de iure successionis certari coeptum esset, opes regni magis magisque imminuebantur, dum anno 2457 extinctum est.

[1] Semitas, qui ante aetatem regis Šarrukîn in Babylonia habitabant, non multos fuisse ex inscriptionibus aetatis inter Ur-Ninâ (circiter 2900)* et Lugalzaggisi, regem urbis Uruk (2662—2638), intercedentis perspicimus, in quibus „Semitismi" non inveniuntur. Exceptum esse videtur vocabulum *dam-ḫa-ra* = *ṭamḫaram* in cono quodam Entemena, patesi urbis Lagaš. Quod ita explicari potest, ut migratio gentium Semiticarum non brevi perficeretur. Quare dubium non est, quin iam ante regem Šarrukîn Semitae cum Sumeriis commercium habuerint. Fieri quoque potest, ut tum mercede militaverint. Utrum autem Semitae ante eum regem tantum rapaces nomades fuerint an iam propria imperia extra Babyloniam (fortasse in terra Amurru) condiderint, diiudicari non potest. Conferas A. Ungnad in OLZ, XI, 1908, 63.

[2] De eorum regum expeditionibus nonnulla e textuum reliquiis in bibliothecis urbis Nippur et regis Assurbanipal** inventis cognoscimus.

---

* Aetas Ur-Ninâ non prius ponenda est. Neque enim verisimile est ex patesi urbis Lagaš multos nobis ignotos esse. Quorum seriem si novimus, inter Gudea (2470—2430) et Ur-Ninâ paulo plus 400 anni intercedunt.

** Bibliotheca regis Assurbanipal in Tell Kujundschik effossa est et quidem una pars annis 1849 et 1850 ab *A. H. Layard* in domo regia (meridiana) Sanherib, altera anno 1853 ab *H. Rassam* in domo regia (septentrionali) Assurbanipal. Conferas M. J. Ménant, La bibliothèque du palais de Ninive. Paris 1880.

Posteriore parte tertii millennii (2294—2187) domus quaedam regnatrix Sumeriorum, quae in urbe *Ur* sedem ac domicilium habebat, „Sumer et Akkad" dicionis suae fecit. Maximus rex eius domus *Ur-Nammu* (2294—2277) eiusque filius *Šulgi* (2276—2231) vestigia regis Šarrukîn secuti fortasse aliquantum temporis etiam in Syria et Palaestina regnaverunt. Eorum regum Sumericorum auctoritas quam late patuerit, inde perspicimus, quod in effossionibus in Asia minore (Boghazköi) factis sigillum alicuius praefecti regis *Ibi-Sin*, qui et ipse posteriore parte tertii millennii (2210—2186) „Sumer et Akkad" regebat, inventum est. Sed tum iam multi Semitae in terram Sumer immigrasse videntur, quia cum ultimi reges urbis Ur tum reges domuum regnatricum sequentium, qui in urbibus *Isin* (2185—1961) et *Larsa* (2187—1901) sedem habebant, plerumque nomina Semitica habent. Iis Semitis, qui tum in urbem Ur immigraverunt, haud dubie maiores quoque Abraham adnumerandi sunt. Aequalis Abraham, *Ḫammurapi* (= Amraphel Gn 14, 1. 9), sextus rex primae domus regnatricis Babyloniae (1955—1913), Sumeriorum imperio in Babylonia meridiana finem fecit, cum *Rîm-Sin* (Sum. *Eri-aku* = Ariok Gn 14, 1. 9), regem urbis Larsa = Ellasar (1985—1925), qui etiam „terram occidentalem" regebat, id quod ex eius insriptionibus apparet, regno spoliavit eiusque regnum cum Babylonia septentrionali coniunxit.

Abraham ipsum cum Sumeriis commercium quoddam habuisse ex Gn 11, 31 perspicimus, ubi cum familia in Ur-Kasdim habitasse dicitur, quae urbs dubium non est quin antiqua urbs Sumerica Ur intellegenda sit. Ea urbs iam temporibus historiam antecedentibus in rebus gestis floruisse videtur. Ex Ur-Kasdim Abraham in urbem Haran in Mesopotamia septentrionali sitam profectus est indeque in terram Canaan immigravit (Gn 11, 31; 12, 4s.), ubi iterum cum Sumeriis congressus est. Nam Rîm-Sin (Ariok), id quod Gn c. 14 narratur, „terram occidentalem" rursus subigere conatus cum aliis tribus regibus expeditionem eo suscepit, ab Abraham autem prope Damascum devictus est (v. 15). Paulo post, ut supra diximus, ab Ḫammurapi regno spoliatus et Sumeriorum in Babylonia imperio finis factus est.

Adnotatio. — A Babylonia orientem versus, in montibus Zagros, complures gentes, quarum origo accuratius reperiri non potest, habitabant: Gutaei (*Gutium*), Lulubaei (*Lulubi*), Kassitae (*Kaššû*). Incolae terrae Elam (Sum. *Nim*, Akk. *Elamtu*, Hebr. *ʿElâm*, Graec. Ἐλυμαίς) sive regionis, quae a Tigride inferiore orientem versus atque a sinu Persico septentriones versus usque ad Assyriam et Mediam porrigebatur, erant rusticis rebus dediti, rapaces, bellicosi, imprimis sagittarii celebres (Jes 22, 6; Jer 49, 35). In inscriptionibus vernaculis Elamitae (Ἐλαμεῖται Act 2, 9) nomen *Hatamti* gerunt,* postea apud Persas

* Non *Hapirti*, sed *Hatamti* legendum esse V. Scheil (Textes élamites-sémitiques IV, 3) demonstravit.

Uvâdja, apud Graecos Οὔξιοι appellantur, quod nomen in nomine Chûzistân, quo hodie eorum terra vocatur, permansit. Ad quas gentes omnes auctoritas incolarum Babyloniae pertinuit, sed nulla earum Sumeriis cognata est. Conferas G. Hüsing, Der Zagros und seine Völker (AO, IX, 3—4) Leipzig 1908.

IV

De Sumeriorum principibus et civitatibus

I. Antiquissimis temporibus in Babylonia multae civitates parvae fuerunt, quarum principes *lugal* = rex vel *en* = dominus (Akk. *šarru* et *bêl*) appellabantur. Plurimi autem *patesi* (Sum. *isak*, Akk. *iššaku*) se nominabant. Quod nomen regem urbis significat, qui ipse domino maiori paret ab eoque in munere constitutus est. Neque dubium est, quin antiquissimis temporibus solum regis nomen summam rerum potestatem significet. Sed haud raro nomen patesi invenitur, etiamsi princeps urbis nemini subiectus et obnoxius est. Ita si invenitur, cum religione cohaeret; nam significat principem a deo urbis constitutum nihil aliud esse nisi eius in terra vicarium, verum autem regem esse deum. Quare antiquissimi reges Assur, etiamsi suo iure imperant, „patesi dei Assur" se appellant et eadem causa permoti pii principes urbium Sumericarum nomen patesi saepe tenuerunt, quamquam nomen regis gerere potuerunt. Fortasse vocabulum patesi initio simpliciter „servum" valuit, postea autem nomen summi servi dei factum est.*

Iis principibus urbium semper rex maior praefuit, qui ideo nonnunquam nomen „regis terrae" (*lugal kalama*) gerebat. Saepius autem ab urbe, ubi domicilium habebat, se denominavit. Quod imperium maius a summo deo Sumerico, En-lil urbis Nippur, „domino terrarum", oraculo datum est, in quo deus nomen regis enuntiavit. Neque vero urbs Nippur sedes eius regis, penes quem summa erat potestas, fuit. Ex antiquissimis monumentis perspicimus urbem Kiš in septentrionali Babyloniae parte ad Euphratis bracchium quoddam sitam sedem eius regis fuisse; item urbem Kêšu longius septentriones versus eo loco, ubi fluvius ʿAdhêm in Tigridem influit, sitam, in qua „domina montis" Nin-ḫarsag sedem habebat. Prope urbem Kiš quoque locus quidam nomine Ḫarsagkalamma (= mons

* De vi vocabulorum *patesi* et *iššaku* videas P. Jensen in KB. III, 1, 6s.

terrae) erat, qui haud dubie ab antiquo quodam templo eiusdem deae ita appellatus est.

Initio rex, id quod eius nomen Sumericum *lugal* ostendit, nihil aliud nisi „homo magnus" erat, qui corporis viribus, ingenii virtutibus, magnis opibus ceteris excellit. Cum autem tota terra possessio deorum urbium sit, rex in terra locum dei urbis obtinet. Ei illud maxime agendum est, ut cultum divinum curet et templa aedificet exornetque. Rex iam „in gremio materno" a diis procreatur natusque ab iisdem educatur. Nin-ḫarsag „eum lacte sacro nutrit", Innina „eum bono nomine vocat", Ningirsu „eum viribus ornat", En-ki „eum sapientiâ imbuit". Quare „imago deorum" est. Iam Gudea, rex urbis Lagaš, „puerum, qui ex dea Gatumdug genitus est", se nominat. De nonnullis regibus nihil aliud demonstrari potest nisi eorum simulacra in templo collocata culta esse. Sed complures reges urbis Agade iam vivi inter deos se rettulerunt. Velut Narâm-Sin in nonnullis inscriptionibus „deus (urbis) Agade" nominatur; neque unquam signum dei ante nomen suum omittit. Quod est primum exemplum regis divino cultu ornati. Antea bis tantum signum dei ante nomen Šar-ga-ni-šar-ali invenitur. Postea imprimis reges urbium Ur, Isin, Larsa divino honore ornabantur. Qui reges filii dei En-lil esse putabantur; Ninsun eorum mater nominatur; deae (ut Anunit et Innina) eorum coniuges appellantur; ante nomen regis signum dei ponitur. Regi templa exstruuntur, ubi et vivus et mortuus sacris colitur. Is mos regis in deorum numero collocandi, cui etiam Rîm-Sin favebat, aetate primae domus regnatricis Babyloniae exolevisse videtur; certe reges eius domus ante nomen signum dei iam non ponunt. Neque reges aut principes Babyloniorum, si quem deum patrem vel quam deam matrem esse dicunt, dicere velle se re vera ab iis oriundos esse verisimile est.

Titulus rex „Sumer et Akkad" (Sum. *lugal ki-en-gi ki-uri*, Akk. *šar šu-me-er-im u ak-ka-di-im*) in inscriptionibus regum urbium Isin (VAB, I, 1. p. 204, 1) et Larsa (ib. 206, 1) occurrit. — Ḫammurapi assumpsit titulum: *šar mât šu-mi-ri-im u ak-ka-di-im šar ki-ib-ra-tim ar-ba-im* = rex terrae Sumer et Akkad, rex quattuor regionum mundi (Inscriptio Louvre II, KB, III, 1, 124). Post primam domum regnatricem Babyloniam eo titulo solum ii reges insigniebantur, qui Babylonem sub potestatem suam redegerant. Asarhaddon (680—669) primus rex Assyriorum fuisse videtur, qui

eum titulum sibi sumpsit. Qui deinde in reges regni Neochaldaicí (625—538) transiit et iam Nabopolassar (625—605) eo usus est. Ultimus eorum, qui eum titulum gesserunt, Cyrus (rex Babyloniae 538—529) fuit.

H. Winckler (in „Mitteilungen des Akademisch-Orientalistischen Vereins zu Berlin" 1887, 5—8) putat „Sumer et Akkad" in titulis regum, qui ante Ḫammurapi fuerunt, tantum meridianam, non septentrionalem quoque Babyloniae partem significare, quippe cum reges, qui ante Ḫammurapi eum titulum gerebant, imperium Babyloniae septentrionalis non obtinerent. Ratio tamen, quam H. Winckler affert, parum probabilis est. Nam etsi ex litterarum monumentis regum, qui ante Ḫammurapi fuerunt, nondum constat eos septentrionalem quoque Babyloniam dicionis suae fecisse, tamen multa sunt indicia, quae magna cum verisimilitudine ostendunt eos etiam in septentrionalem Babyloniae partem dominationem habuisse (L. W. King, A history of Sumer et Akkad 278—295). Nam quod Rîm-Sin, rex urbis Larsa, eo ipso tempore, quo Babylon cum tota regione iam sub Ḫammurapi potestate erat, in inscriptionibus „rex Sumer et Akkad" appellatur, respiciendum est Ḫammurapi initio in regis Rîm-Sin dicione fuisse et postea demum domo Rîm-Sin destructâ totam Babyloniam imperio tenuisse titulumque „regis Sumer et Akkad" assumpsisse. Ceterum conferas C. F. Lehmann in BA, II, 608—619.

Sunt qui dixerint titulo „regis quattuor regionum mundi" (Sum. *lugal ubda limmuba*, Akk. *šar kibrâtim arba'im*) quattuor urbes Babel, Erech, Akkad, Kalneh, quae Gn 10, 10 memorantur, significari,

Veste rex antiquissimis temporibus a subiectis vix distinguebatur. Tegumen tunica erat, parte corporis superiore patente. Ad dignitatem significandam reges baculum curvatum vel gladium falcatum gestant. Šarrukîn I quoque tunicam gestat, capilli vinculo continentur, barba usque ad cingulum pertinet. Ab aetate Narâm-Sin reges vestem strictam et singulos artus exprimentem gestant, umero dextro nudo; caput galero alto tegitur. Narâm-Sin galeam cornibus ornatam, quae proprie nisi diis nulli conceditur, gestat, ut se cultum divinum sibi vindicare ostendat. Gudea eiusque aequales amiculum fimbriatum gestant; capilli capitis et barba rasa sunt; caput vel nudus vel galero tectus.

II. Celeberrimae urbes Babyloniae in eius parte meridiana sitae erant eaeque prope loca, ubi Euphrates in mare se effundit. Quae autem earum urbium antiquissima sit, diiudicari non potest.

Atque in ora sinus Persici, qui olim multo longius ad septentriones pertinebat, urbs Eridu (in antiquissimis textibus semper ideographice *Nun-ki*, in textibus Neosumericis *Eri-zibba* [scriptum est *Uru-ṣi-ib-ba*]) sita fuit (hodie ruinae *Abû Šahrein* = pater utriusque lunae), ubi Ea (En-ki), deus maris, colebatur. Quam urbem

iam primum hominem nomine Adapa incoluisse fama erat. Ab Eridu meridiem et orientem versus *Tell Lahm*, cuius antiquum nomen ignoramus, situs est.

Quamquam urbs Eridu aeque vetus est atque urbs Nippur atque fortasse vetustior, tamen nulla indicia exstant, unde efficiatur illam urbem temporibus historiam antecedentibus caput alicuius regni fuisse. Eius auctoritas in lacu sacro (*zu-ab* vel *apsû* = oceano), a quo templum deo Ea dicatum *E-zu-ab* vel *E-apsû* = domus oceani denominabatur, in oliva sacra, in religione totius regionis posita erat.

Ruinae Abû Šahrein, quamquam ab Euphrate occidentem (accuratius meridiem) versus sitae sunt, tamen in tabulis geographicis saepe falso in sinistra Euphratis ripa (in Babylonia, quae proprie dicitur, non in Chaldaea) significantur. Quod ab Abû Šahrein et Tell Lahm meridiem versus colles ruderum non exstant, inde forsitan colligatur mare quondam usque ad ea loca pertinuisse. — Conferas J. E. Taylor, Notes on Abu Shahrein and Tel el Lahm (JRAS, XV, 1855, 404ss), R. C. Thompson, The British Museum excavations at Abu Shahrain (Archaeologia LXX, 1920, 101—144). St. Langdon-F. H. Weißbach, Ausgrabungen in Babylonien seit 1918 (AO, XXVI, Leipzig 1928) 3—9.

Ab urbe Eridu septentriones versus Ur (Gn 11, 28. 31; 15, 7; Neh 9, 7. Sum. *Uri*, Akk. *Uru*)[1] quaerenda est. Atque maxime placet cum H. Rawlinson aliisque conicere urbem Ur in loco ruinarum *el-Muḳaijar* (*el-Mugheir*) haud procul a dextra Euphratis ripa sito quaerendam esse, cum in tabulis fictilibus ibi effossis crebro loci nomen *Uru* legatur. Templum dei urbis i. e. dei lunae *Sin* (*En-zu* = dominus sapientíae?, *Nannar* = *Nar-nar*)[2] nomine *é-kiš-šir-gál*, quod mense Decembri anni 1922 ab expeditione musei Britannici et musei universitatis Pennsylvaniae (Philadelphiae) effossum est, e multis cellis et foris, quae circa aulam erant, constabat. Quod templum F. Kenyon inter annos a. Ch. n. 4000 et 3000 exstructum esse putat. At neque tabulae cuneiformes neque aliae inscriptiones inventae sunt, quae certa argumenta ad tempus aedificationis accuratius determinandum praebent.[3]

[1] *Ur* nihil aliud est nisi vocabulum Sumericum, quo urbs significatur: *uru* (Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar 50). Cognomen Kasdim (= Kaldim, nam litterae *s* et *l* creberrime permutantur) urbs Ur haud dubie, ut ab alia urbe eiusdem nominis nobis ignota discerneretur, accepit (cf. Augusta Taurinorum, Augusta Trevirorum). Sunt qui dixerint urbem in Babylonia sitam non Ur-Kasdim nominari posse. At neque vetus testamentum neque textus cuneiformes universos incolas Babyloniae Kasdim vel Chaldaeos nominant, sed hi tantum pars incolarum Babyloniae fuerunt. Cum autem regnum Neobabylonium anno a. Ch. n. 625 conditum esset, primo egregius Babyloniorum ordo (Dn 1, 4 etc.), postea Babylonii universi nomine Chaldaeorum appellati sunt.

[2] Nomen *En-zu* cum nomini Semitico dei lunae Sin inesse videatur, ad explicanda nomina biblica Sinai, Sanherib (Akk. *Sin-aḫê-erba* = Sin fratres auxit), Sanballat (Akk. *Sin-uballiṭ* = Sin vitam dedit), Sin'ab (Akk. *Sin-abu* = Sin

est patet) pertinet. — F. Hommel (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 373s.) nomen quoque *uri(n)* nomen dei lunae (accuratius dei lunae novae) Nannar esse putat. Sed quamquam Nannar deum urbis Ur et in ea urbe Babyloniae antiquissimum templum lunae fuisse constat, tamen *uri(n)* nomen dei lunae fuisse demonstrari non potest. Conferas S. Landersdorfer, Sumerisches Sprachgut im Alten Testament 25.

[3] Videas J. E. Taylor, Notes on the ruins of Muqeyer (JRAS, XV, 1855, 260ss.). C. L. Woolley in The antiquaries journal III, 4 (1923) 311—333 et pl. XXIV—XXXIV. W. Andrae, Der Sin-Tempel in Ur (OLZ, XXVII, 1924, 441—445. St. Langdon-F. H. Weißbach, Ausgrabungen in Babylonien 19—55. H. R. Hall and C. L. Woolley, Ur excavations. Vol. I: Al-ʿUbaid. A report on the work carried out at Al-ʿUbaid for the British museum in 1919 and for the joint expedition in 1922—23. London 1927 (*Tell al-ʿUbaid* sive *el-ʿObêd* est collis parvus, in ripa dextra Euphratis, circiter 8 km ab el-Muḳaijar occidentem versus situs).

Ab urbe Ur septentriones et occidentem versus, inter Euphraten inferiorem et Šaṭṭ el-Hâi sive priorem alveum Tigridis Larsa (= *Ellasar* Gn 14, 1. 9) sita est, ubi celebre templum *E-parra* (*E-babbarra*) deo solis (Sum. *Utu*, Akk. *Šamaš*) dicatum et turris gradibus assurgens *E-dúr-an-ki* (= vinculum caeli et terrae) erant.

F. M. Th. Böhl (ZAW, XXXVI, 1916, 67) nomina Ellasar et Larsa aequanda esse negat, quia id fieri non potest, nisi consonantes *r* et *s* transmutantur et 'Aleph prostheticum vel determinationem urbis *al(u)* anteponitur. — Ruinas urbis Larsa, hodie *Senkereh* vel *Sinkara*, W. K. Loftus (Travels and researches in Chaldaea and Susiana, Chapter 20, London 1857) diligenter descripsit.

Ab urbe Larsa septentriones et occidentem versus, ad ripam sinistram Euphratis, Uruk (semper fere ideographice *Unu-(ki)* vel plenius *Unu(-ki)-ga* i. e. Unugga) = Erech Gn 10, 10. LXX *Ὀρέχ*, apud scriptores profanos *Ὀρχόη* (hodie ruinae *Warka*) cum templo deae Ištar dicato *E-anna* (= domus caeli) et turri gradibus assurgente *E-gig-bar-VII* (= domus septem gipâri i. e. septem lucorum sive arundinetorum) sita est. Praeterea alii quoque dii et deae, imprimis Anu eiusque coniux Antum, ibi colebantur. Esr 4, 9 *'Arkewâjê* inter eos nominantur, quos Asnappar (= Assurbanipal) ex regionibus ad inferiorem Euphraten et Tigridem sitis in Samariam transtulit. Qui quin regionem urbis Erech incoluerint, dubium non est. Cum nomine urbis *Ὀρχόη* nomen quoque *Ὀρχηνῶν* (Ptolem. Geogr. 5, 19, 2), Orchenorum (Plin. Hist. nat. 6, 26, 123) cohaeret, quae gens in Babylonia ad meridiem et occidentem vergente habitabat.

Nomen Erech in textibus semper *iri-ki* scriptum est (= *iri* i. e. habitatio cum determinatione *ki*), ut nomine biblico Erech Sumerica nominis pronuntiatio ac-

curate referatur. — Ruinae urbis Erech (cf. W. K. Loftus, Travels and researches in Chaldaea and Susiana, Chapter 15—19) ad pristinum quendam fluminis alveum sitae sunt. Qui alveus, cum secundum carmen epicum, quod a Gilgameš vocatur (tab. 6. lin. 194), ad Euphraten sita fuisse existimanda sit, Euphratis erat. Sequitur, ut Erech olim in ripa occidentali Euphratis i. e. in Chaldaea sita fuerit. — De effossionibus a Germanis annis 1912 et 1913 duce J. Jordan in ruinis Warka factis videas MDOG, nr. 51 (Aprilis 1913) p. 47—76 et nr. 53 (Aprilis 1914) p. 9—16 praeterea J. Jordan, Uruk-Warka nach den Ausgrabungen durch die DOG, Leipzig 1928.

Urbs prope Erech sita *Nak-su(-ki)* fuisse videtur, quippe cum saepius unâ cum Erech commemoretur. Utrum autem in Chaldaea an in Babylonia, quae proprie dicitur, sita fuerit, diiudicare non possumus. Ceterum prope priores alveos Euphratis, quorum nonnulli cum priore alveo Tigridis coniungebantur, multi colles ruderum assurgunt, qui nondum pervestigati sunt, ut urbes ibi sitae constitui non possint.

Magni momenti sunt ruinae *Telloh* (melius *Tell-Lô*), a loco hodierno Mantar Karaghul 4 km orientem versus, in ripa sinistra prioris Tigridis sitae. Quamquam autem ibi multae inscriptiones regum et principum (patesi) urbis *Šir-bur-la* (*Lagaš*) inventae sunt, tamen ruinae Telloh non loco urbis Šir-bur-la, sed urbis Girsu (-ki) templis refertae existimandae sunt, cuius templum maximum deo Ningirsu dicatum erat. In antiquissimis inscriptionibus et Girsu(-ki) et templum maximum urbis (Nin-Gir-su) *Sugir* -(Nin-Su-gir) appellatur, unde nomen Girsu e *Gir* (cf. terram biblicam *Ḳîr*, patriam Aramaeorum, qui in regionibus a Tigride orientem versus sitis nomadum vitam agebant) et *Su* (nomades, cf. Su-edin = nomades deserti) compositum esse apparet. E ceteris templis urbis Girsu imprimis memorabilia sunt: templum dei En-ki (Ea) urbis Nun-ki (Eridu); templa dearum Gištin-anna et Turzi-zuabba, dominae urbis Ki-nu-nir(-ki) vel Borsippa; templum E-anna deae Ištar; templa deorum Nin-dàr-a, Nin-giš-zid-da (= Nebô, Nusku), Šit-lam-ta-ud-du-a (= Nêrgal); templa dearum Nin-ḫar-sag (= Bêltu) et Nin-mar-ki (quod E-sal-gil-sa nominabatur).

Collem ruderum Telloh E. de Sarzec annis 1875—80 perscrutatus est. Videas eius opus, quod inscribitur: Découvertes en Chaldée, publiée par le soin de L. Heuzey. Paris, I, 1884. II, 1887. Praeterea conferas Nouvelles fouilles de Tello par le commandant Gaston Cros, publiée sous le concours de L. Heuzey et F. Thureau-Dangin. Paris 1910.

Tell Surghul sive Zerghul a ruinis Telloh septentriones et orientem versus situs locus urbis Šir-bur-la (Šir-la-bur) sive La-

g a š est. Ad eius fines urbes quoque Uruazaga, Ninua (Ninâ), Girsu pertinebant. Etiam urbs (vicus ?) Irim (?) in iis numeranda esse videtur. Deus urbis Lagaš erat Ningirsu; eius coniux nominabatur Ba-u. Iis duo filii et septem filiae nati sunt. Ningirsu duas sorores habebat eique quindecim dii serviebant. Praeterea complures alii dii deaeque ibi colebantur.

Nomen urbis plerumque Šir-bur-la scriptum est. Secundum T. G. P i n c h e s (Assyrian antiquities. Guide to the Kouyunjik gallery 7. London 1883) pro Šir-bur-la legendum est Lagaš, ut Šir-bur-la pro ideogrammate habendum sit (cf. etiam B. M e i ß n e r in OLZ, X, 1907, 385). Cur autem loco nominis Lagaš nomen Šir-bur-la positum sit, ignoramus (*šir* lumen, *bur* vas, *la* urceum significare potest.) P. J e n s e n (KB, VI, 1, 5) nomen Lagaš urbi, quae prius Šir-bur-la appellabatur, postea inditum esse putat. — Ruinas Surghul atque ruinas el-Hibba, quae ab iis 10 km septentriones versus distant, *R. Koldewey*, qui ibi anno 1887 effossiones fecit, descripsit: Die altbabylonischen Gräber in Surghul und el-Hibba (ZA, II, 1887, 403—430).

Quo loco urbs N i s i n (quod nomen semper phonetice scriptum est *Ni-si-in*(*-ki*)*-na* vel simpliciter *Ni-si-in*(*-ki*), Akkadice *I-si-in*) fuerit, haud accurate describi potest: fuit certe prope urbem L a r a k, quae et ipsa nondum inventa est, sed in regione meridiana, in ripa prioris Tigridis (Šaṭṭ el-Ḥâi) sita fuisse existimanda est, et prope urbes Lagaš et Girsu. Illud quoque fieri potest, ut Nisin et Larak nihil aliud nisi nova nomina urbium Lagaš et Girsu sint. Maximum templum urbis Nisin „dominae Nisin", deae Nin-in-si-na, dicatum erat (*E-gal-mach*, Akkadice *Ekallu ṣîru* vel *Ekal ṣîri*). In alio templo (*E-rab-ri-ri*) deus Nêrgal colebatur. Larak (scriptum est *Ud-ud-ak* i. e. Lar-ak) sedes cultus dei Pa-bil-sag erat.

B. M e i ß n e r (OLZ, XX, 1917, 140—142) existimat urbem Isin in *Tell Ziblije* a Nippur 18 km septentriones versus sito quaerendam esse. Alii eam loco ruinarum *Baḥrijjât* quaerunt.

In Tell Djôcha (Yôkha) a Šaṭṭ el-Ḥâi occidentem versus atque a Nippur meridiem et orientem versus sito urbs G i š - c h u sive *Giš-úch* agnoscenda est, quae antiquissimis temporibus sedes regum, postea principum (patesi) erat. Ibi dea quaedam frumenti, quae modo Nidaba vel Nisaba (ex Sum. *nin-dag* vel *nin-dab* = donum frumenti), modo Zirkatu (?), modo Gula nominatur, colebatur.

Nomen Sumericum *Giš-úch*(*-ki*) nomini Semitico *Ub-me*(*-ki*) respondet. Ex Ub-me assimilatione *Umma* ortum est. — *G. Contenau* textum plus ducentarum tabularum in Umma inventarum (Parisiis 1915 et 1916), *H. de Genouillac* textum quinquaginta tabularum (ib. 1922) edidit. — Conferas A. D e i m e l, Umma (Djoḥa) Texte aus dem Museum des päpstlichen Bibelinstituts in Rom (Orientalia XIV. XV. XVII. 1924—25). N. S c h n e i d e r, Das Drehem- und Djoḥaarchiv (ib. VIII, 1924; XVIII, 1925; XXII, 1926).

Inter urbes maximi momenti numeranda est Šurippak sive *Šuruppak* (Sum. *Su-kur-ru(-ki)*, hodie *Fâra*) a Tell Djôcha septentriones et occidentem versus sita, quae iam tum, cum dii diluvium constituerunt, vetus (*lâbir*) fuit (KB, VI, 1. p. 230, 12).

Inscriptiones a societate Germanica, quae ab oriente nominatur, ibi inventae Berolini asservantur atque ab A. Deimel editae sunt: Die Inschriften von Fara in Umschrift. I. Liste der archaischen Keilschriftzeichen von Fara (Leipzig 1922), II. Schultexte aus Fara (ib. 1923), III. Wirtschaftstexte aus Fara (ib. 1924). Conferas MDOG XV, 9—12; XVI, 9s. 12s; XVII, 4—14.

A Šurippak 7 km septentriones versus Kisurra (scriptum est *Ki-sur-ra-ki* = locus in finibus extremis positus, hodie *Abu-Hatab*) sita erat.

Videas MDOG, XV, 13; XVI, 11s; XVII,14—18.

Ab Abu-Hatab septentriones et orientem versus Ud-nun(-ki) = *Adab* (*A-da-ab*), hodie *Bismâja*, quaerenda est, cuius ruinas Americani ab anno 1903 perscrutati sunt. Ibi imprimis Šamaš et Ninšubur colebantur.

De Bismâja et inscriptionibus ibi inventis, quae sunt antiquissimae atque ex aliqua parte ad aetatem regem Šarrukîn I antecedentem pertinent, conferas E. J. Banks, Bismya or the lost city of Adab, with 174 illustrations. New York 1912.

In media Babylonia, in ripa orientali canalis Šaṭṭ en-Nîl, ruinae urbis Nippur (Sum. *En-lil(-ki)*, hodie *Niffer* sive *Nuffar*) sitae sunt. Ibi in templo *E-kur* (= domus montis) En-lil sive Ellil, eius coniux Nin-lil et filius Nin-ib (Nin-Girsu) colebantur. Cuius urbis ruinas universitas Pennsylvaniensis ducibus *J. P. Peters* et *H. V. Hilprecht* ab anno 1888 perscrutata est.

Conferas J. P. Peters, Nippur or explorations and adventures on the Euphrates. 2 vol. New York 1897. H. V. Hilprecht, Die Ausgrabungen der Universität von Pennsylvania im Bêl-Tempel zu Nippur. Leipzig 1903.

A Nippur meridiem versus collis ruderum Drehem assurgit, ubi permultae tabulae cuneiformes inventae sunt. Videas H. de Genouillac, Tablettes de Dréhem et La trouvaille de Dréhem. Paris 1911. St. Langdon, Tablets from the archives of Drehem. ib. 1911. Conferas quoque Orientalia VIII, 1924, 14—19.

Longius septentriones versus (circiter 30 km a Bâbel septentriones et orientem versus) Kutû (Sum. *Gu-dú-a(-ki)*, scriptum est *Tik-gab-a(-ki)*, Hebr. *Kûthâ* 2 Rg 17, 24. *Kûth* ib. v. 30. LXX *Χουθά, Χούθ*, hodie *Tell Ibrâhîm*) ad canalem quendam (hodie *Habl Ibrâhîm*) sita erat. Šulgi, rex urbis Ur (2276—2231), ibi deo *Šit-lam-ta-ud-du-a* (= Nêrgal) templum *Šit-lam* aedificavit, cuius turris gradibus assurgens *Bît-Nannar* vocabatur, cum non deo Nêrgal, sed deo lunae urbis Ur dicatum esset. Ex urbe Kutû rex As-

syriorum misit colonos in regiones regni decem tribuum in dicionem suam redacti (2 Rg 17, 24. 30), qui cum reliquiis Israelitarum ibi etiam tum commorantibus paulatim in unum populum coaluerunt et a Judaeis *Kûthîm*, *Χουθαῖοι* appellati sunt (Jos. Ant. Jud. 9, 14. 3. § 288; 10, 9. 7. § 184; 11, 4. 4. § 88; 11, 7. 2. § 302; 13, 9. 1. § 256. Mischna, Berachoth 7, 1; 8, 8. Pea 2, 7. al.).

Caput autem terrae posteriore aetate B â b e l erat, quam Nebukadnezar II (604—562) magnificentissime exaedificavit, cum et sibi complures domos exstrueret et templa dei Marduk (*E-sagila*)[1] aliorumque deorum splendidissime exornaret. Antiquissimum urbis nomen Sumericum est *Tin-tir*(*-ki*) = sedes vitae, non: lucus vitae.[2] Recentius nomen *Ka-dingir-*(*ra*)*ki* = porta dei esse videtur. Praeter ea nomina in textibus cuneiformibus nomina quoque non Semitica *Šu-an-na* = manus (?) caeli et *E* = habitatio occurrunt. Conversio nominis Sumerici Ka-dingir est nomen Semiticum *Bâb-ilu* vel *Bâb-ili*, unde Hebraica nominis forma *Bâbel* (quae Gn 11, 9 etymologiâ populari a verbo *bâlal* = confudit derivatur) et Persarum antiquorum forma *Bâbirus* sive *Babairus* manaverunt. Nomen autem Graecum *Βαβυλών* ad posteriorem formam *Bâb-ilâni* (= porta deorum) referendum est.[3]

[1] Marduk praeter Bêl Jer 50, 2 deus urbis Babylonis esse dicitur. *Šadrak* (nomen Babylonium consortis Danielis Ḫananja Dn 1, 7; 2, 49. al.) est nomen Marduk mutilatum. Id nomen pars quoque nominum biblicorum Merodach-Baladan (Akk. *Marduk-abal-iddina* = Marduk filium dedit) et Evil-Merodach (Akk. *Amel-Marduk* = vir Marduk) est. Etiam nomini Mardochai (Akk. *Mardukêa* = meus Marduk) nomen Marduk subest. — De templo dei Marduk videas C. P. T i e l e, E-sagila und E-zida (ZA, II, 1887, 179—190). V. S c h e i l, Esagil ou le temple de Bêl-Marduk a Babylone. Paris 1913.

[2] F. H o m m e l, Die semitischen Völker und Sprachen (Leipzig 1883) 414.

[3] Locum urbis Babel urbs Arabum *Ḥillah* (Ḥilleh vel el-Ḥellah) et colles ruinarum *Dschumdschuma*, *Ischan ʿAmrân ibn ʿAli* (locus templi dei Marduk), *el-Kasr* (domus regia Nebukadnezar), *Bâbil* (horti pendentes Semiramidis, qui vocantur), qui ab ea septentriones versus assurgunt, occupant. Societas Germanica, quae ab oriente nominatur, ab anno 1899 magnam partem urbis perscrutata est. Conferas R. K o l d e w e y, Das wieder erstehende Babylon. Die bisherigen Ergebnisse der Deutschen Ausgrabungen.[4] Leipzig 1925.

Circiter 12 km a Bâbel meridiem et occidentem versus, in occidentali ripa Euphratis B a r s i p occurrit, cuius antiquissimum nomen *Ki-nu-nir*(*-ki*) erat. Nomen urbis Sumericum, quod aetate regis Ḫammurapi vel post eam ortum est, *Bád-si-a-ab-ba* (= claustrum maris) erat. In Talmude בורסיף et בורסי, a scriptoribus Graecis *τὰ Βόρσιππα* et *Βάρσιπα* appellatur. Ibi in templo *E-zida*

(= Akk. *bîtu kênu* i. e. domus aeterna) cum turri templi *E-ur-imin-an-ki* (= domus septem planetarum caeli et terrae), cuius ruinae hodie *Birs Nimrûd* (= turris Nimrôd) appellantur, deus Nabû (Nebô) colebatur. Quae urbs aetate regni Neobabylonii, imprimis Nebukadnezar II regnante, maxime floruit.

Conferas H. Rawlinson, On the Birs Nimrûd or the great temple of Borsippa (JRAS, XVIII, 1860, 1—34).

Circiter 12 km a Borsippa meridiem et orientem versus loco ruinarum Dêlam urbs Dilbat (scriptum est *Dil-bat(-ki)*, cf. verbum Sumericum *dil-bad* = nuntiare) sita erat, olim ad Euphraten, qui cursum suum saepius mutavit. Eius templum princeps *Imbi-Anum* (= nuntiavit Anu) appellabatur et deo *Ib* vel *Uraš* eiusque coniugi *Nin-egal* (*Belit ekalli*) dicatum erat.

Conferas A. Ungnad, Untersuchungen zu den Urkunden aus Dilbat (BA, VI, 5) Leipzig 1909).

A Dilbat meridiem et orientem versus Marad, ubi deus *Lugal-Marad-da* (= rex Marad) colebatur, ad paludes prope hodiernam urbem Nedschef vel Meschhed ʿAli sita erat. Hodie *Wonnet Saʿdun* nominatur.

Videas A. T. Clay, The site of Marad (OLZ, XVII, 1914, 110—112).

Circiter 14 km a Bâbel orientem versus urbes Kiš (hodie *Oḫaimir*) et Ḫarsag-kalamma, quae ad canalem quendam sitae fuisse videntur, quaerendae sunt. Deus urbis Kiš erat *Za-mal-mal* (= Ninib), qui in templo *Me-te-ur-sag-ga* (= ornatus herois i. e. Ninib) colebatur, cuius turri gradibus assurgenti nomen *Ki-dur-magʿ* (scriptum est *Ki-ku-magʿ*) erat.

Conferas St. Langdon-F. H. Weißbach, Ausgrabungen in Babylonien 55—67.

Akkad, Semitice *Ak-ka-du*[1], in inscriptionibus cuneiformibus saepe ad terram (Babyloniam septentrionalem) appellandam usurpatur. Nomen autem urbis Akkad (Gn 10, 10) in inscriptionibus diu desiderabatur. Nonnulli putabant urbem Akkad eandem esse urbem, quae in textibus cuneiformibus *Agadê* (scriptum est *A-ga-nê*) vocatur[2] et solo interiecto canali eiusdem nominis (*Nâr Agadê*) ab urbe Sippar separabatur. G. Smith, vir signorum cuneiformium imprimis gnarus, se fragmentum textus cuiusdam bilinguis vidisse affirmat, in quo Agadê vocabulo *Akkadii* reddebatur.[3] Quod fragmentum periit. Denique H. Rassam ipsum nomen *Akkadi* urbis Babyloniae in textu quodam regis Nebukadnezar I apud Abû Habba

invenit: *Sin u Bêlit alu Ak-ka-di ilâni ša bît Ḫabban* = Sin et domina urbis Akkad (i. e. dea Anûnît, quae in templo *E-ulmaš* colebatur), dii domus Ḫabban.[4] Ruinae *Abû Habba*, quae a Bâbel 50 km septentriones versus in sinistra Euphratis ripa sitae sunt, locum urbis Sippar, accuratius *Si-ip-par ša Ša-maš* (Sippar-Solis)[5] obtinent, a qua non procul aberat *Si-ip-par ša A-nu-ni-tum* = Akkadi, quam urbem Šarrukîn caput regni a se conditi fecit, cui tum nomen „terrae Akkad" inditum est.[6]

[1] Nomen Akkad, quamquam adhuc pro certo explicari non potest, originis Sumericae esse videtur.

[2] Nomini Agadê eadem ratio cum Akkad intercedit, quae nomini Magan cum Makkan. Ea enim est pronuntiatio Semitica nominis, id quod VAT 5040, avers. lin. 4 ostendit: *giš-gu-za-má-gan-na* = (*kussû*) *ma-ak-ka-nu-u*.

[3] Frd. Delitzsch, Wo lag das Paradies? 198.

[4] H. V. Hilprecht, Freibrief Nebukadnezars I, zum erstenmal veröffentlicht, umschrieben und übersetzt. Leipzig 1883.

[5] Multi urbem *Sepharvajim*, ex qua rex Assyriorum colonos in regiones Samariae misit (2 Rg 17, 24. 31) cum urbe Sippar sive Sipar (apud Berosum *Pantibibla*, apud Ptolemaeum *Σιπφάρα*, apud Plinium *Hipparenum* [Sipparenum], apud Eusebium *Ἡλίου πόλις*) aequant. At locis allatis non urbs Babyloniae Sippar, sed quaedam urbs Syriae intellegenda est, fortasse *Sibrajim* (Ez 47, 16), quae in *Chirbet es-Sanbarîje* ad ripam dextram Nahr el-Ḥâṣbânî et ab urbe Bânijâs occidentem versus sita quaerenda esse videtur (cf. J. P. van Kasteren in RB, IV, 1895, 31. V. Scheil, ib. 203—206). — Expeditio Turcica ducibus V. Scheil et Bedry Bey anno 1894 ruinas urbis Sippar perscrutata est. Conferas V. Scheil, Une saison de fouilles à Sippar. Le Caire 1902.

[6] Sunt qui existiment Akkad in *Tell ed-Dêr*, ab Oḥaimir septentriones atque ab Abû Habba septentriones et orientem versus sito quaerendam esse.

In regione maxime ad septentriones vergente, a loco, ubi Dijâla in Tigridem influit, meridiem versus atque in ripa dextra Tigridis urbs Kêšu prope Seleuciam (Ktesiphon [ruinae Ṭâḳ-i-Kesrâ = arcus Chosrau], caput Sâsânidarum, ex adverso in ripa sinistra) sita erat. Postea (ab anno millesimo quingentesimo) *Upî* (ideographice *Ud-chù*, *Uch*), Graece *Ὦπις* (Herod. Hist. 1, 189) appellabatur.

Conferas A. Ungnad, Zur Lage von Upi-Opis (ZDMG, LXVII, 1913, 133—135).

Complurium aliorum locorum, quorum in textibus cuneiformibus mentio fit, situs adhuc ignotus est. Velut urbis Kalneh (Gn 10, 10),[1] quae cum urbe Syriae septentrionalis *Kalneh* Am 6, 2 = *Kalno* Jes 10, 9 = *Kullanî* in inscriptionibus confundenda non est. Secundum interpretem Chaldaeum, cui Hieronymus adstipulatur,[2] Kalneh eadem urbs est, quae postea *Ktesiphon* appellabatur.

[1] Nomen Kalneh haud dubie Sumericae originis est, secundum Frd. Delitzsch (Wo lag das Paradies? 225) idem quod *Kul-unu(-ki)* = habitatio seminis, progeniei, secundum F. Hommel (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 348. n. 4) idem quod *Ki-Illina* = *Ki-En-lil* (pro *En-lil-ki*), quae verba „locus (dei) En-lil" convertenda sunt. Cui interpretationi talmudistae (Joma 7, 9b et 10a) consentiunt, qui Kalneh cum urbe *Nippur*, sede cultus dei En-lil, aequant (cf. S. Daiches in OLZ, XI, 1908, 539—542 et The Jews in Babylonia in the time of Ezra and Nehemiah according to Babylonian inscriptions 10. London 1910). P. Jensen (Theol. Lit. Ztg. 1895, 510) Gn 10, 10) *Kullaba* legendum esse putat, cuius urbis in textibus cuneiformibus (*Kul-unu-ki* et *Kul-ab-ki*) mentio fit.

[2] Quaest. in Gn 10, 10 (MSL 23, 953): „Chalanne, quae postea verso nomine a Seleuco rege est dicta Seleucia, vel certe, quae nunc Ktesiphon appellatur". Hîc Hieronymus dubitat, utrum Kalneh Seleucia an Ktesiphon sit, quae urbes in utraque ripa Tigridis ex adverso sitae erant. Certius dicit in commentario ad Am 6, 2 (ib. 25, 1059): „Transite omnes in Chalane, quae nunc appellatur Ctesiphon."

Adnotatio. — Ceterum de Sumeriorum urbibus videas Frd. Delitzsch, Wo lag das Paradies? 203 — 232. R. Zehnpfund, Babylonien in seinen wichtigsten Ruinenstätten (AO, XI, 3—4) Leipzig 1910. F. Hommel, Ethnographie und Geographie des Alten Orients 298—414. Dorothy Mackay, The ancient cities of Iraq. Baghdâd 1926.

V

De Sumeriorum religione et cultu profano

I. Apud paucas gentes antiquas religio tantum valuit quantum apud Sumerios. Nam et negotia publica eorum et tota vita privata cum religione artissime cohaerebant. Multi illi dii Sumerici, quibus magnus sacerdotum numerus serviebat, a Semitis, qui in Babyloniam immigraverunt, recepti sunt atque pars eorum etiam unâ cum nominibus Sumericis. Quorum nonnulli in vetere quoque testamento commemorantur.

Religio Sumeriorum recentissima demum aetate exquiri coepta est. In eorum diis deabusque reperiendis imprimis nomina hominum cum nominibus divinis composita, in quibus nomina Sumerica et Semitica plerumque discerni possunt, magni sunt momenti.

Dii Babyloniorum et Assyriorum magnam partem nomina Sumerica gerunt, ut originis Sumericae sint. Sed eos quoque deos, quibus nomina Semitica sunt, ob id non originis Semiticae esse necesse est; nam nomina Sumerica in linguam quoque Semiticam conversa esse possunt idque duplicem in modum: Semitae aut deum Sumericum sibi ad id tempus ignotum receperunt eiusque nomen in linguam Semiticam converterunt aut in deo Sumerico suum deum agnoverunt eumque illius nomine appellaverunt.

1) Initio omnium rerum exstat *Gur*, primo non in naturam masculinam et femininam divisus, postea autem in *En-gur* et *Ningur* (Akk. *Apsû* et *Tiâmat*) disiunctus. Ab iis *An* (*Anu*) et *Ki* (*Ea*) proficiscuntur, orti disiunctione rudis indigestaeque molis rerum sive chai. Qui dii postea genere quoque secernebantur, ita ut *En-an* et *En-ki* pro viris, *Nin-an* (Annat) et *Nin-ki* (Damgalnunna) pro feminis haberentur. Filius dei En-nan est *En-lil* sive *Ellil*, cui magnum templum urbis Nippur („urbis Ellil") dicatum erat. Eius autem vera sedes est in montibus ad orientem vergentibus; inde cognomen *lugal kurkura* (= rex regionum montuosarum) traxit. Ut autem in templo in planitie sito libenter versaretur, in urbe Nippur mons latericius (pyramis templi) erectus est, qui *E-kur* (= domus montis) nominabatur.[1] Coniux dei En-lil est *Nin-lil*, quae in Sumeriorum textibus variis nominibus vocatur, ut *Nin-ḫarsag*, *Bau*, *Nintu*, *Gatumdug*. En-an (Anu), En-lil (qui a Babyloniis postea Bêl appellabatur), En-ki (Ea) constituunt priorem deorum Sumericorum triadem (= patrem, filium, patruum).[2] Filius dei En-lil est deus lunae *Zu* vel *En-zu*, a quo deus solis *Ud* et stella κατ' ἐξοχήν sive *Venus*, quae a Babyloniis *Ištar*, a Sumeriis *Innanna* nominabatur, orti sunt. Frater dei En-zu est deus sub nomine *Ningirsu* notus, cuius verum nomen adhuc ignoratur; fortasse autem non alius est nisi *Rammân*, deus tempestatum et tonitruum. En-zu, Ud, Ningirsu posteriorem deorum Sumericorum triadem constituunt (= patrem, filium, patruum). Ab En-ki complures dii deaeque, quibus ubertas soli curae est (ut *Dumuzi*, *Ninâ*, *Nindara*, *Nidaba*), originem ducunt.

[1] Conferas F. Nötscher, Ellil in Sumer und Akkad. Hannover 1927.

[2] Ad quos tres deos fortasse verba decalogi Ex 20, 4 referenda sunt: „Ne facias tibi sculptam imaginem aut simulacrum ullius rei, sive sit in caelo (*Anu* = deus caeli, Sum. *an* = caelum) sive in terra (*En-lil*, *Bêl* = deus terrae) sive in aqua sub terra (*Ea* = deus voraginis aquarum)", ut ibi Israelitae deos Anu, Bêl, Ea colere diserte vetentur.

Copulationibus trium deorum Anu, Bêl, Ea atque En-zu, Ud, Ningirsu antiquiores sunt copulationes duorum deorum, quae postea minus apparebant, imprimis copulatio deorum *Anšar* (= superior rerum universitas) et *Kišar* (= inferior rerum universitas), quâ antiquius erat par *Laḫmu* et *Laḫamu*. In Anšar nonnulli nomen dei Aššur, principis deorum Assyriorum, praeterea nomen et capitis antiqui (hodie Ḳal'at Schergâṭ) et terrae Aššur agnoscendum esse putant. Alii autem nomen Aššur a verbo אשר (ישר) = rectum esse

i. e. vel recte agere vel recte sive prospere procedere (cf. Arabicum *jassara*) derivandum esse ac „prosperum" sive „prosperantem" significare contendunt. In vetere testamento nomen urbis et terrae Aššur in forma אַשּׁוּר, nomen dei in forma אַסַּר (in nomine regis Esarhaddon = Akk. *Aššur-aḫa-iddin*) invenitur.

2) Praeter eos deos magnos multi dii deaeque minores erant, qui partim in templis propriis, partim in templo alicuius dei magni colebantur. Haud pauci eorum sunt dii locorum quorundam;[1] nonnullos etiam totus populus venerabatur. Eorum nomina saepe cum vocabulo *nin* (= dominus et domina; lingua enim Sumerica genera masculinum et femininum non discernit) composita sunt.[2] Multi sunt vel liberi vel comites deorum magnorum; nam ut principes terrae, ita dii multos habent ministros, qui eorum iussa exsequuntur, aedem custodiunt, visitantes annuntiant, in epulis musicâ eorum animos delectant, agros colunt etc. Accedunt ii dii, qui herbis et animalibus fecunditatem, hominibus spiritum vitae, regi potentiam praebent, opifices et artifices, imprimis opifices ferrarios, docent etc. In quo numero *Gibil* (*Girru*) quoque deus ignis est, cuius in textibus posterioribus saepius mentio fit. Etiam dea quaedam nomine *Kadi*(?), quae ius tutatur, haud raro nominatur. Praeterea duo magna genera deorum saepe commemorantur: *Anunnaki* i. e. vires terrenae, quae deo En-lil parent, et *Igigi* caeli, qui deum Anu comitantur seque stellis aperiunt. Sed cum astrologia in nullo textu tertii et secundi millennii commemoretur, religio Sumerica e cultu siderum profecta falso putatur. Immo vero dii Sumerici magnae vires sunt, quae vitam terrenam regunt ideoque imprimis in terra versantur, etiamsi simul in caelo atque in sideribus habitant. Sola Nanai-Ištar, dea amoris venerei, iam mature cum stella Veneris coniuncta est. Praeter eam dii aetate demum Chaldaeorum cum certis stellis coniungi coepti sunt, unde astrologia quoque initium cepit.

[1] Incolae singularum urbium Sumeriorum primo unum deum, deum praesidem urbis suae, colebant. Tum demum, cum procedente tempore singulae urbes dominationem aliarum arripiebant, dii praesides quoque harum urbium recipiebantur, ita tamen, ut deo urbis victricis postponerentur.

[2] Deorum nominibus determinatio *dingir* (= deus vel dea) anteponitur. Nonnunquam autem et in deorum nominibus et in nominibus cum deorum nominibus compositis omittitur. Nonnullis quoque rebus ad cultum divinum pertinentibus ea determinatio interdum anteponitur, cum aliae nunquam eam habeant.

Numerus autem deorum Sumericorum eo maior est, quod dii parum discernuntur a spiritibus, qui et ipsi coluntur aut si inimici

sunt, ut innoxii fiant, adiurationibus placantur. Multi dii porro cum animalibus coniunguntur. Velut deus Nêrgal leo est, qui si irascitur, pestilentiam et mortem mittit. Ningirsu, deus urbis Gir-su, curru ab animalibus monstruosis ducto super terram vehitur et clavâ inimicos prosternit; leo et aquila, qui inter se confunduntur, ei dicati sunt. Item deus Ea e capro et pisce fingitur. Inter deos minores et daemones multa monstra sunt: tauri hominis corpore et aves hominis capite praediti; dracones e serpente, aquila, leone, scorpione compositi. Draco talis generis animal dei Ningišzida est, qui apud inferos habitat, sed ut sol ex iis proficiscitur et efficit, ut hominibus cum diis commercium sit. Draco autem deum itinera facientem comitatur. Etiam deum, cui duae facies sunt, Sumerii colunt. Dea quaedam, quae Nin-lil esse videtur, avi (anseri?) insidet. Item multi dii cum arboribus et herbis coniunguntur. Dii et daemones coronas gerunt, quibus taurorum cornua affixa sunt.

3) Dii oracula edere hominesque docere, quid ut favorem suum impetrent, facere debeant, non desinunt. Praecipua auctoritate est oraculum Ea, dei urbis Eridu, sed Ninâ quoque, Nisaba sive Nidaba aliique dii deaeque res futuras aperiunt, somnia interpretantur, similia. Multas formulas, quibus vates et adiuratores daemonum utebantur, litterarum monumenta posterioris aetatis continent, quae quin ab antiquissimis temporibus repetendae sint, dubium non est.

Dii boni et benigni esse existimabantur, saltem erga cultores suos. Sumerii suum cuique deum custodem esse, qui in numero deorum magnorum esset, putabant. Quare in monumentis homo a deo custode manu prehenditur et ad deum summum in solio sedentem ducitur, ut ei vel victimam offerat vel donum aliquod, imprimis aquam vitae, ab eo precibus impetret. Dii naturâ mali a diis bonis, ut hominum impietatem et peccata punirent, mittebantur, sed diis bonis invitis hominibus nocere non poterant. Omnia mala vel in singulos vel in totum populum irruentia aut ab ipsis diis iratis aut a daemonibus, eorum servis et ultoribus, effecta putabantur. Sacerdotum erat deos iratos placare et a daemone oppressos adiurationibus liberare.

4) Sumerii, ut deos colerent vel eorum opem in necessitatibus vitae precarentur, imprimis ea animalia, quae omnibus victum aliamque variam utilitatem praebebant, mactabant. Creberrime animalia domestica (oves et caprae), rarius aves et pisces, animalia

saetosa et fera mactabantur. Praeter animalia cibaria quoque et res pretiosae diis offerebantur vel ad cultum adhibebantur, plerumque tamen non ab hominibus privatis, sed a sacerdotibus publico mandatu. Ante simulacrum dei crebro vas lautum ponebatur, in quod frondes, flores, fasciculi cum palmulis figebantur, in quae aqua fundebatur; nam nihil aquâ, in qua fertilitas terrae posita erat, pretiosius deos hominibus dedisse putabant. Ex iis fasciculis postea „arbor vitae", quae ex variis ramis proportione ordinatis constabat, exorta est.

Sumeriorum et Babyloniorum-Assyriorum templum (Sum. *ê-gal* = domus magna, Akk. *êkurru*) e duabus partibus constabat, domo dei et turri templi (*sikkurratu*). Suum cuique templo et cuique turri nomen erat. Velut templum urbis Babel *E-sagila*, eius turris *E-temenanki* nominabatur; templum urbis Borsippa *E-zida*, eius turris *E-uriminanki* etc. Templum Sumericum, quod nisi ex inscriptionibus non cognoscimus, cingebat atrium (*kisal*), in quo puteus erat et quod compluribus porticibus circumdabatur. In cella (*bar*) deus habitabat, cuius simulacrum aediculâ (*girnun*) includebatur. Complura alia loca, quae in inscriptionibus commemorantur, adhuc pro certo cognosci non possunt. Ad templum varia quoque aedificia pertinebant, ut horrea pro frumento et palmulis, stabula pro animalibus, piscinae. Prope templum hortus erat, in quo dii et sacerdotes se recrearent.

Adnotatio. — De Sumeriorum diis eorumque cultu videas H. Zimmern in KAT 343—643. M. Jastrow, Die Religion Babyloniens und Assyriens. 2 tom. Gießen 1905—12. Bildermappe ib. 1912. P. Dhorme, La religion Assyro-Babylonienne. Paris 1910. A. Deimel, Pantheon Babylonicum. Nomina deorum e textibus cuneiformibus excerpta. Romae 1914. N. Schneider, Das Drehem und Djoḥaarchiv, 2. Heft: Der Götterkult, 1. Teil. (Orientalia XVIII, Roma 1925), 2. Teil (ib. XXII, 1926). A. Jeremias, Handbuch der altorientalischen Geisteskultur[2] 333—409.

II. Sumerii ad maiorem cultum atque humanitatem progressi magistri ceterarum gentium facti sunt. Illi scripturam imaginibus expressam, unde scriptura cuneiformis manavit, excogitaverunt (certe eâ ab antiquissimis temporibus usi sunt); illi systema sexagesimale notasque numerorum invenerunt; illi multarum rerum ad astronomiam pertinentium periti erant, quas posteris saeculis tradiderunt; illi, ut paucis dicam, in universo cultu profano florebant. Aedificabant templa, domos, castella; fingebant statuas; incidebant imagines in lapide duro; varias res ex aere ducebant. Quem cultum

profanum utrum ipsi peperierint an ab aliis gentibus mutuati sint, ignoramus. Certe initia eius a temporibus quartum millennium antecedentibus repetenda sunt.

Iam rex Gudea gloriatur, quod templa et domos aedificaverit. Stela triumphalis regis Narâm-Sin apud omnes artium peritos in admiratione est. Celebres octo quoque illae statuae sunt, quae aetate regis Gudea fictae nunc Parisiis (in museo Louvre) asservantur; omnes autem capite carent neque complura capita, quae inventa sunt, ad eas pertinere videntur. Etiam in ruinis urbis Nippur capita mira arte ficta effossa sunt, quae tertii a. Ch. n. millennii sunt. Imprimis artificiosa sunt vas argenteum Entemana, regis urbis Lagaš, ubi aquila capite leonis praedita, quae inter duos leones libratis alis pendet, ficta est, et duo caprarum capita aenea in ruinis urbis Šurippak (Fâra) inventa. Num autem caput illud antilopes ex aere temperato fusum, quod pulchre et ad verum fictum est (cf. *H. V. Hilprecht* in The Sunday School Times 1901, nr. 4), aetati Sumeriorum attribuendum sit, non constat.

Ceterum Sumeriorum ingenium ad artes colendas minus aptum erat quam Aegyptiorum. Babylonios quoque originis Semiticae sive Akkadios Sumeriis arte multo praestitisse monumentis demonstratur. Nam etsi initio multa a Sumeriis didicerunt, tamen postea eorum magistri facti sunt. Item Assyrii artibus multo Sumeriis praestabant. Imprimis regiis templisque aedificandis et sculpturis egregie perficiendis excellebant atque etiam Akkadios superabant, cum montes prope Niniven siti alabastrum, marmora, alios lapides aedificiis ac sculpturis aptissimos abundanter suppeditarent, solum vero Babylonium vix quidquam nisi lutum lateribus aptum praeberet.

Conferas B. Meißner, Grundzüge der babylonisch-assyrischen Plastik 4—64 (AO, XV, 1—2) Leipzig 1915. Babylonien und Assyrien I, 274—335 (Kulturgeschichtliche Bibliothek 1, 3) Heidelberg 1920. E. Unger, Die sumerische und akkadische Kunst (Jedermanns Bücherei. Bildende Kunst) Breslau 1926.

VI

De scriptura cuneiformi a Sumeriis inventa eorumque lingua

I. Primae scripturae Sumeriorum formae, ut Aegyptiorum et Sinensium, nihil aliud erant nisi imagines singularum rerum et actionum, quae paulatim ita mutatae sunt, ut uno fere elemento,

cuneis angulisque varium in modum iunctis, constarent neque rerum, quas significabant, imaginem referrent. Qua scripturâ cuneiformi syllabae atque magnam partem vocabula exprimuntur. Habet signa syllabarum *ka*, *ku*, *ki*, *ak*, *ik*, *uk*, *gim*, *til* etc. atque vocalium, sed non consonantium. Contra scriptura Aegyptia praeter multa signa syllabarum et vocabulorum signa consonantium quoque (24 numero), sed non signa vocalium habet. Item scripturâ Semiticâ non syllabae, ut scripturâ cuneiformi, exprimuntur, sed ut scriptura Aegyptia consonantes habet, vocales non habet. Quare verisimilius est eam a scriptura Aegyptia quam a scriptura cuneiformi profectam esse.

J. Oppert in tomo secundo operis, quod inscribitur „Expédition scientifique en Mésopotamie" (Paris 1859) primus demonstrare studuit omnia signa cuneiformia ex imaginibus orta esse. Contra Frd. Delitzsch (Die Entstehung des ältesten Schriftsystems oder der Ursprung der Keilschriftzeichen. Leipzig 1897) scripturam cuneiformem non e scriptura imaginibus expressa, sed e signis primis (Urzeichen), quae vocantur, ortam esse putat. G. A. Barton autem (The origin and development of Babylonian writing, 2 parts. Leipzig 1913) nos ut antea ponere oportere scripturam cuneiformem e signis imaginum profectam esse demonstravit.

Utrum Sumeriorum scriptura imaginibus expressa cum *Aegyptiorum scriptura hieroglyphica* cohaereat necne, saepe excussum est. Similitudine vero nonnullarum rerum externarum (ut directionis et nonnunquam etiam formae signorum) parum demonstratur atque cum tertio a. Ch. n. millennio terrae inter Babyloniam et Aegyptum sitae a maiore cultu humanitateque prorsus abhorrerent, neges illas scripturas inter se cohaerere. Sed etiam nunc de hac re disseritur.

A. Ungnad (Sumerische und chinesische Schrift. In „Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes" XXXIV, 1927, 76—86) scripturam Sumericam cum *scriptura Sinensi* comparat, in qua comparatione sane tantum octo signa adhiberi possunt, et fieri posse putat eas scripturas eadem esse origine. Ex effossionibus in India ad septentriones et occidentem vergente (in Mohenjo Daro et Harappa) factis effici Sumeriorum cultum atque humanitatem usque in Indiam divulgatam esse, ut etiam in Sinam pervenire potuerit, cuius incolae cultum humanitatemque ab occidente ad se perlatam esse tradunt.

Antiquissima litterarum monumenta Babyloniae extremo saeculo quarti a. Ch. n. millennii orta sunt i. e. tum, cum in Aegypto scriptura iam per saecula usitata erat. Atque initio scriptura cuneiformis tantum ad linguam Sumericam scribendam adhibebatur. Iam anno 1850 *E. Hincks*, cum linguam, qua Babylonii et Assyrii utebantur, Semiticam esse repertum esset, suspicatus est signa cuneiformia non Semiticae originis esse. Idem paulo post *H. Rawlinson* et *J. Oppert* affirmaverunt. Ex quo tempore viri docti diligentissime elaborabant, ut eam gentem, quae scripturam cuneiformem invenisset, explorarent. Diversissimae autem sententiae de ea re

prolatae sunt. Atque H. Rawlinson et J. Oppert Scythas scripturam cuneiformem invenisse putaverunt. Contra E. Hincks gentem quandam Indo-Europaeam eam ab Aegyptiis mutuatam esse existimavit. Anno 1853 H. Rawlinson, cum inventores scripturae cuneiformis „Scythas Akkadicos" nominavit, appellationem „Akkadice" induxit, quam multi viri docti receperunt, nonnulli usque ad proximos annos usurpaverunt. Anno 1869 J. Oppert primum appellatione „Sumerice" usus est, quam veram esse hodie vulgo agnoscitur, cum „lingua Akkadica" lingua Semitarum, qui in Babyloniam immigraverunt, intellegenda sit. Anno 1873 F. Lenormant Parisiis in „Lettres assyriologiques. Deuxième série" primus grammaticam Sumericam edidit.

Scripturam a Semitis repertam haud dubie scripturam consonantium esse necesse erat neque explicari potest, quî fieri potuerit, ut Babylonii Semitici scripturam cuneiformem, quae ab ingenio linguae Semiticae prorsus abhorret, reperirent. Atque eam scripturam pro lingua non Semitica inventam esse inde quoque perspicimus, quod in bibliotheca regis Assurbanipal multae tabulae fictiles inventae sunt, in quibus vocabula utriusque linguae, Sumericae et Akkadicae, iuxta scripta sunt, tum e textibus Sumericis, quibus Akkadica conversio interlinearis addita est, denique e textibus solâ linguâ Sumericâ scriptis, qui in Babylonia effossi sunt.

Procedente tempore scriptura cuneiformis a Semitis Babyloniae sive Akkadiis recepta et suae linguae accommodata est. Inde scriptura facta est, quae unamquamque syllabam aut propriis signis, exempli causâ *par*, *kit*, significabat aut in simplicia signa, quae tantum ex una consonante et una vocali constant, solvebat, cum exempli causâ *pa-ar*, *ki-it* scriberetur. Praeterea non modo multa sunt vocabula, quae Akkadii a Sumeriis receperunt, sed etiam multa ideogrammata, quae partim ab iisdem Sumeriis recepta, partim ab Akkadiis ficta et formata sunt. Quae signa non phonetice pronuntiantur, sed si leguntur, vocabulo Semitico, quod iis respondet, redduntur; forma autem grammatica aut non conspicua fit aut complemento phonetico, quod vocant, significatur. Eius modi ideogrammata Sumerica in textibus Semiticis imprimis de vocabulis usitatissimis crebro usurpantur, item de nominibus propriis, ut eorum pronuntiatio haud facile reperiatur.

Semitae Babyloniae scripturam cuneiformem, cum eam recepissent, longe lateque divulgaverunt. Ut enim aliae gentes Semiticae Babyloniae finitimae, velut Lulubaei et Gutaei, ita Assyrii quoque eam receperunt, item Elamitae, qui eam postea ad suam

quoque linguam scribendam adhibebant. Secundo a. Ch. n. millennio scriptura cuneiformis (et lingua Akkadica) tota Asia minore divulgata fuit atque non modo a Semitis Syriae et Pharaonibus Aegypti, sed etiam ab incolis regni Mitanni et Hethaeis (ab his ad suam quoque linguam scribendam) usurpata est. Etiam in regno Armeniorum scriptura cuneiformis usitata fuit. Ex eadem scriptura quoque cuneiformis Persarum exstitit, qua Achaemenidae ad inscriptiones regias utebantur.

Cum scriptura cuneiformis linguae Sumericae accommodata esset, gentes Semiticae, quae in Babyloniam immigraverunt, unâ cum scriptura primo linguam quoque Sumeriorum receperunt, ut non pro certo reperire possimus, qui textus linguâ Sumericâ conscripti Sumeriis et qui Semitis attribuendi sint. Quod igitur principes quarti et tertii millennii textus Sumericos reliquerunt, inde eorum origo Sumerica non efficitur. Quod idem cadit in nomina Sumerica principum, quibus solis origo Sumerica eorum principum demonstrari non potest.

Adnotatio. — Ceterum de scriptura cuneiformi videas F. Thureau-Dangin, Recherches sur l'origine de l'écriture cuneiforme. Paris 1898. C. Fossey, Manuel d'Assyriologie I (Paris 1904) 269—381: Origine Sumérienne des cunéiformes. B. Meißner, Die Keilschrift (Sammlung Göschen 708) Berlin-Leipzig 1913. F. Bayer, Die Entwicklung der Keilschrift. Vom Ausgang des dritten vorchristlichen Jahrtausends bis zum Erlöschen der Keilschriftliteratur (Orientalia, nr. XXV, Roma 1927). A. Jeremias, Handbuch der altorientalischen Geisteskultur[2] 19—25.

II. Tres linguarum classes distinguuntur: 1) *linguae monosyllabicae*, quae solis radicibus integris certoque ordine iuxtapositis constant; cuius modi sunt linguae Sinae et Indiae posterioris; 2) *linguae agglutinantes*, quae radices nominum et verborum semper servant intactas, sed praefixis et suffixis varias relationes grammaticas exprimunt significationemque modificant; cuius modi sunt linguae Indianorum Americae, gentium Africae, imprimis Africae meridianae (linguae Bantu), ut paucis dicam, linguae gentium non eruditarum vix non omnes; 3) *linguae flectentes*, quae non solum praefixis et suffixis utuntur, sed et ipsas radices immutant, in quibus igitur omnia elementa grammatica adeo cum radicibus coalescunt, ut nisi a philologis distingui non possint; ad quas linguae Semiticae et Indogermanicae pertinent.

1) Lingua Sumerica (*li-ša-an šu-mê-ri*), antiquissima omnium linguarum, quas novimus, ad linguas agglutinantes pertinet ideoque a linguis Semiticis prorsus abhorret.

Eius proprietates maxime conspicuae sunt hae: Habet vocales *a, i, e, u* et consonantes *b, p, g, k, d, t; l, r, m, n; ʿg, z, s, š.* — Nominum formae plerumque a radicibus non differunt; praefixis autem et suffixis novae formae fiunt idque

hoc modo: 1. vocalibus *a, i, e, u* antepositis; velut *eme* „lingua" = *e+me* „loqui"; 2. vocabulo *ki* „locus" anteposito; velut *ki-gubba* „locus quietis" = *ki+gubba* „stare, quiescere"; 3. vocabulo *lu* „homo" anteposito; velut *lu-inim-inimma* = Akk. „*âšipu*" „magister, adiurator daemonum" = *lu+iniminimma* „adiuratio"; 4. vocabulo *ág* „aliquid" anteposito, quo substantivum abstractum significatur; velut *ág-gig-ga* „malum, res adversa" = *ág+gigga* „premi aliqua re"; 5. vocabulo *nam* „fortuna, sors, fatum" anteposito, quo rursus substantivum abstractum significatur; velut *nam-lugal* „regnum" = *nam+lugal* „rex"; 6. vocabulo *gál* „habere, esse" radici adiuncto et substantiva et adiectiva efficiuntur; velut *ḫul-gál* = „hostis" et „hostilis". — Pluralis substantivorum singulari repetito exprimitur: *kur* = mons, *kur-kur* = montes; *ti* = costa, *ti-ti* = costae; *mada* = terra, *mada-mada* = terrae (*inim* = vocabulum, plur. *inimmim*). Saepius autem exitu *-ene* pluralis significatur: *dingir* = deus, *dingir-ene* = dii. Exitus quoque *-me, meš* adhibetur: *dupsar-me* = scriptores, *sal-me* = mulieres. — Nominativus et accusativus crebro non proprie significantur; quamquam initio casus rectus *-e* adiuncto, casus obliquus *-a* addito significatus esse videtur. Genetivus *-a* adiuncto exprimitur: *mu-lugal-a* = nomen regis, *ê-add-a-na* = domus patris sui. Crebrius autem genetivus *-ge* vel *-ka, -ga* adiunctis significatur: *gud-dingir-ene-ge* = boves deorum, *enim-a-dingir-ene-ka* = iussu deorum. Dativus appendice *-ra* vel *-r* exprimitur: *lugal-ra* = regi, *nina-ni-r* = dominae suae. — Aliter atque in linguis Semiticis in lingua Sumerica genera masculinum et femininum non discernuntur. Velut *dimer* deum et deam, *dam* maritum et coniugem, *digir* dominum et dominam, *eru* servum et ancillam valet. In paucis vocabulis genus femininum vocabulo *sal* (= muliebris) addito significatur: *dumu* = filius, *dumu-sal* = filia. Nonnullis notionibus propria vocabula sunt: Velut *giš* = vir, *ki-el, gême* = mulier; *šeš* = frater, *nin* (?) = soror; *ur* = canis, leo, *nig* = canis femina, leaena; *anšu* = asinus, *eme* = asina; *am* = bos ferus, *šilam* = vacca fera. — In lingua Sumerica saepe substantivis (cum adiectivis additis) vis collectiva, quae vocatur, inest, ut pluralis non significetur: *dimmer an-ki-a* = dii caeli et terrae, *dimmer-gal-gal* = dii magni. — In lingua Sumerica duo substantiva vel verba non coniunguntur copulâ „et". Quod in textibus posterioris aetatis scriptum legimus: *nam-ti-mu-šù ù nam-ti Kudur-mabuk* = pro vita mea et vita Kudurmabuk vel *ad-da ù ama* = pater et mater, id „Semitismus" est. Quamquam exstat particula Sumerica *ù* (= etiam): *ù má-e* = etiam ego, *ù za-e* = etiam tu. — Verba in lingua Sumerica in modum a linguis Semiticis prorsus diversum formantur. Verbum simpliciter radice exprimi potest, cui vis transitiva vel intransitiva et causativa, praeterea et activa et passiva inest (*dug* = oratio, verum etiam „loqui, loquens" atque cum suffixis *duga-mu, duga-zu* et „mea, tua oratio" et „loquor, loqueris" valere potest). Plerumque autem verbi formae praefixis efficiuntur: *e-, m* (*mu-, mi-, im-* etc.), *b* (*ba-, bi-, ib-* etc.), *n* (*ni-, na-ne-, in-* etc.). Crebro pronomina quoque praefixo et radici interponuntur (infixa): *mu-du* = aedificavit, *mu-na-du* = aedificavit ei, *mu-ra-du* = aedificavit tibi, *in-nan-lal* = appendit ei. Affixis quoque verbi formae efficiuntur: *sumu-dam* = dedit. — In lingua Sumerica duo tempora distinguuntur, unum actionis perfectae (= perfectum et imperfectum), alterum actionis imperfectae (= praesens et futurum). Ad tempus perfectum significandum radix verbi, ad tempus praesens radix verbi vocalibus *e* vel *a* aucta usurpatur: *in-sar* = scripsit, *in-sar-e* = scribit. Pluralis verbi in perfecto *-eš* (*-aš, -uš*) addito, in praesente *-ene, -ne* addito fit. — Persona verbi significari non solet; *mu-du* valere potest: aedificavi, aedificasti, aedificavit. Si autem persona significanda est, verbi formae suffixum additur: *ni-zu-a-mu* = ego scio. — Imperativus vel *-ab, -ib* additum

vel *u-* praepositum habet. — Linguae Sumericae plures negationes sunt: *nu, na. nam, la, bara,* quae ultima rara est. Negatio *la* haud dubie „Semitismus" est, — Loco praepositionum linguarum Semiticarum in lingua Sumerica postpositiones usurpantur; velut *ad-da-na-ru* = ad patrem suum (*ru* = ad, *na* = suus, *adda* = pater). Inveniuntur quidem praepositiones quoque, sed iis initio vis substantivorum erat: *šag* (cor) = in, *igi* (oculus) = ante. — Pronomina personalia sunt haec: 1. pers. sing. *má, má-e,* etiam *mê,* plur. *mêne* (*me-en-ne*); 2. pers. sing. *ze, za-e,* plur. *zene*; 3. pers. sing. *e-ne,* plur. *e-ne-ne-ne.* Pronomina possessiva sunt haec: 1. pers. sing. *mu, má,* plur. *mên, mê*; 2. pers. sing. *zu, za,* plur. *zu-(e)nêne*; 3. pers. sing. *ni, na, bi, ba,* plur. *nêne, bi-(e)ne, bi-(e)nêne.* Ut pronomina demonstrativa plerumque *nê* et *bi* vel *ba* usurpantur: *ud-da ne-e* = hodierno die, hodie; *a-bi* = illae aquae; *inim-bi* = illa res; *dingir-lù ba-gè* = deus illius hominis. Pronomen relativum est *lù, mu-lu* (homo). Pronomina interrogativa sunt: *a-ba* = quis? *a-na* = quid? — In lingua Sumerica verbum in fine enuntiati, adiectivum ante nomen, genetivus ante substantivum (ubi in linguis Semiticis status constructus usurpatur) ponitur. — Linguae Sumericae recentioris aetatis proprius est transitus vocalis *u* ad *i*, consonantium *g* ad *m*, *n* ad *m*, *g* ad *d*, *d* ad *s*, *n* ad *l*, *r* ad *l*, *r* ad *d*, *n* ad *r*, *n* ad *d*, *s* ad *r*, *š* ad *l* etc. Interdum ii transitus iam in textibus, qui linguâ Sumericâ antiquiore conscripti sunt, inveniuntur. — Quod autem, quamquam eae aliaeque dissimilitudines inter Sumeriorum et Semitarum linguas exstant, in lingua Sumerica „Semitismi", quos vocant, inveniuntur, mirum esse non potest, quoniam Sumeriis magnus et vetus usus cum Semitis erat. — Ut exemplum afferam, in antiquissimis textibus Sumericis, qui ad memoriam nostram pervenerunt, adiectivum et genetivus post nomen posita sunt, propterea quod iam tum Semitarum usu loquendi Sumeriorum lingua quodam modo mutata erat.

2) P. Haupt[1] anno 1880 cognovit in textibus Sumericis duas dialectos (*eme*), antiquiorem et recentiorem, inveniri. Atque antiquior quidem, quam Babylonii ipsi *Eme-ku* nominaverunt, cum lingua antiquarum inscriptionum Sumericarum aequanda est. Recentior dialectus *Eme-sal* nominatur.[2] Quorum nominum vis non liquet.[3] Per aliquantum tempus quaerebatur, dialectine Eme-ku et Eme-sal in variis regionibus simul usurpatae sint. Nam cum Babylonia in Sumer et Akkad divideretur, colligendum esse videbatur unam dialectum in Babylonia septentrionali, alteram in Babylonia meridiana usitatam fuisse. Atque nonnulli (inter quos P. Haupt et Frd. Delitzsch) antiquiorem dialectum linguam terrae Akkad, recentiorem linguam terrae Sumer esse putabant. Alii (ut K. Bezold, F. Hommel) rem contra se habere dicebant, quippe cum e textu ZA, IV, 1889, 434s. appareat Eme-ku eandem linguam esse quam *li-ša-an šu-mê-ri*, Eme-sal eandem quam *li-ša-an ak-ka-di-i*. Nunc dialectum Eme-sal nihil aliud nisi sermonem neglectum et incultum temporis posterioris esse constat.[4]

[1] Über einen Dialekt der sumerischen Sprache (Nachrichten der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1880, nr. 17).

[2] Ea ipsa, quae textus Sumerici continent, opinioni illi dialectum Eme-sal aetate inferiorem esse quam dialectum Eme-ku favent. Formulae enim a magis usurpatae haud dubie aetate superiores existimandae sunt quam psalmi et hymni, qui multo plures formas dialecti Eme-sal proprias continent atque ex aliqua parte prorsus dialecto Eme-sal conscripti sunt.

[3] Ex nonnullorum opinione *Eme-ku* „linguam dominorum (sacerdotum)", *Eme-sal* „linguam feminarum" significat. Atque A. Deimel (Sumerische Grammatik der archaistischen Texte 90) vocabulum *sal* (= muliebris, femina) e textibus ritualibus repetendum esse putat; „linguam feminarum" imprimis ad eos textus recitandos vel cantandos adhiberi, qui feminis (vel castratis cum voce in acutum fracta) attributi sint; vocabulum *ku* (fortasse i. q. *rubû* = gravis, potens) ad eos textus pertinere, qui a viris cantandi vel recitandi sint. Contra Frd. Delitzsch (Grundzüge der sumerischen Grammatik 21, n. 1) Eme-sal minime verbis „linguae feminarum" convertendum esse dicit, quod Sumericum *sal* non feminam significet (?); feminae nomen in lingua Sumerica esse *gême* vel *ki-el*. Multi cum F. Hommel (Österreichische Monatsschrift für den Orient XII, 57. n. 1. cf. Geschichte Babyloniens und Assyriens 236. Berlin 1885. Ethnographie und Geographie des Alten Orients 262. n. 1) dialectum Eme-sal linguam Neosumericam vocant, ad quam cognoscendam tabulae bibliothecae regis Assurbanipal usui sunt, velut vocabularium trilingue K 4319 : 5 R 11—12 et deorum index trilinguis K 171 : 2 R 59 + 2 R 54, nr. 2.

Vocabularium VAT 244 in lingua Sumerica quinque *eme* discernit: *eme-gal*, *eme-sukud(-da)*, *eme-sug(-a)*, *eme-te-na*, *eme-si-idi* (II, 11—15. 32—37; III, 18—22. 37—IV, 7. 11—15). *Eme-sal* semel commemoratur (III, 18); ibi autem *gal* pro *sal* legendum est. Hîc non quinque dialecti intellegi possunt, id quod P. Leander (Über die sumerischen Fremdwörter im Assyrischen 33s. Upsala 1903) existimat. Nam intra parvam terram, cuius incolae linguâ Sumericâ loquebantur, quinque dialectos fuisse Frd. Delitzsch (Grundzüge der sumerischen Grammatik 20. Kleine sumerische Sprachlehre 12) iure negat. Qui ipse quinque illis nominibus certum quendam „usum loquendi" aut „genus scribendi" significari putat; nomen quoque Eme-sal nihil aliud significare inde apparere, quod vocabulum Akkadicum *ummisallu* vocabulo Eme-sal respondens „canticum lugubrem" valeat; nullas igitur dialectos in lingua Sumerica fuisse. At lingua sine dialectis cogitari vix potest.

[4] Respiciendum est nunquam ullum vocabulum plane vocabulum dialecti Eme-ku, sed tantum vocabulum dialecti Eme-sal appellari, quod ita explicandum est, ut Eme-ku usitata Sumeriorum lingua, Eme-sal lingua ab ea discrepans sit. Velut (ut iam supra diximus) pro *g* vocabulorum dialecti Eme-ku in dialecto Eme-sal crebro *m* ponitur: *gal* (= esse) fit *mal*; *dingir* (= deus) fit *dimir*. *G* exiens dialecti Eme-ku in dialecto Eme-sal interdum fit *b*: *šag* (= cor) fit *šab*; littera *n* interdum fit *š*: *anir* (= lacrimare) fit *ašir*; littera *d* interdum fit *z*: *dug* (= bonus) fit *zeb*. Dialecti Eme-sal multa sunt vocabula, quae in dialecto Eme-ku non usurpantur, velut *umun* (= dominus), in dialecto Eme-ku *en*. Sed *umun* et *en* idem vocabulum esse videntur, quia multi sonus litteris non redduntur, *u* nostro *ö* simile est, *m* sonum per nares egerendum significat. Vocabula dialecti Eme-sal phonetice, vocabula dialecti Eme-ku ideographice scribi solent, quoniam id agebatur, ut soni vocabulorum linguae a lingua usitata discrepantis scripturâ diligenter significarentur.

3) Textus Sumerici ad varia genera litterarum pertinent. Habemus enim textus liturgicos, inscriptiones historicas, hymnos, non-

nulla carmina epica.[1] Longo saeculorum spatio, quo Babylonii linguam Sumericam in scholis explicabant, cottidiana rerum necessitate cogente factum est, ut multi textus bilingues i. e. textus Sumerici cum conversione Akkadica scriberentur, quorum magna pars in bibliotheca antiquae urbis Ninive (Tell Kujundschik sive Kojundschuk) conservata ad memoriam nostram pervenit.[2] Licet etiam poni multos textus Akkadicos nihil aliud esse nisi conversiones textuum Sumericorum. Multi textus Sumerici haud dubie a Semitis scripti aut nihil aliud sunt nisi conversiones textuum Akkadicorum in linguam Sumericam, qua sola in cultu uti licebat, a sacerdotibus factae. Quare perperam textibus Sumericis ob id ipsum, quod Sumerici sunt, maiorem vetustatem quam textibus Akkadicis attribuas. Exstant syllabaria quoque et verborum indices, qui haud dubie a viris doctis Babyloniis ad linguam sanctam discendam compositi sunt, complures commentarii et exercitationes linguae e scholis profectae.

[1] Antiquissimi textus Sumerici ad religionem pertinentes, qui ad memoriam nostram pervenerunt, sunt formulae magicae, quibus spiritus mali a sacerdotibus expellebantur. Praeterea dubium non est, quin magna pars textuum, imprimis textuum ad religionem pertinentium, qui in bibliotheca regis Assurbanipal servati sunt, ex urbe Babel profecta sit, ut ad deum Marduk spectet. Sed demonstrari potest eos mythos et hymnos initio ad deum En-lil (Nippur) vel Sin (Ur) vel Ea (Eridu) pertinuisse, postea autem retractatos et ad deum Marduk relatos esse, ut textus, qui iis subsunt, antiquiores esse necesse sit. Idem inde apparet, quod magna pars illorum textuum bilinguis est et quod postea quoque omnibus textibus originis Semiticae ad religionem pertinentibus conversio Sumerica addita est. Id ita explicandum est, ut Sumerii multa litterarum monumenta ad religionem pertinentia habuerint, quae a Semitis recepta et exculta sunt.

[2] Qui textus bilingues summi sunt momenti, quoniam nullam linguam, cuius scientiâ in lingua Sumerica intellegenda adiuvemur, cognovimus. Ut vim vocabulorum Sumericorum perspiciamus, nihil aliud adhibere possumus nisi textus bilingues atque contextus in monumentis litterarum Sumericarum. Conversiones vocabulorum Sumericorum a Babyloniis Semiticis memoriae nostrae relictae a R. E. Brünnow (A classified list of all simple and compound cuneiform ideographs occurring in the texts hitherto published, with their assyro-babylonian equivalents, phonetic values etc. Leiden 1889. Appendix 1897) et B. Meißner (Seltene assyrische Ideogramme. Leipzig 1910) diligenter collectae sunt.

4) Ut supra diximus, magna pars bibliothecae Assurbanipal, regis Assyriorum (668—627), e textibus Sumericis, quibus conversio interlinearis Semitica addita est, constat. Sed novi textus Sumerici iam pridem confecti non sunt. Ex inscriptione quadam Sumerica (cum conversione interlineari) regis Babyloniorum Šamaš-šumukîn, fratris Assurbanipal, clare apparet viros doctos saeculo sep-

timo iam non recte Sumerice scribere scivisse. Antiqui reges urbis Lagaš (circiter 3000 a. Ch. n.), quamquam iam pridem gentes Semiticae in Babylonia consederant, omnia edicta linguâ Sumericâ conscripserunt. Sed paulatim sermo Semitarum, qui immigraverunt, usurpari coeptum est.[1] A quonam tempore lingua Sumerica vulgo usurpari desita sit, viri docti inter se dissentiunt. Ac sunt qui putent id iam ineunte tertio a. Ch. n. millennio factum esse. Alii existimant Sumerios usque ad aetatem fere regis Ḫammurapi a gentibus Semiticis distinctos fuisse et suâ linguâ usos esse. Omnes autem in eo conveniunt a temporibus regis Ḫammurapi, qui totâ Babylonia subactâ urbem Babel regni caput elegit, varias gentes in Babylonia habitantes inter se commixtas et linguam Akkadicam unam regni linguam factam esse. Lingua tamen Sumerica non tota exstincta est. Nam ut apud nos lingua Latina, ita apud Babylonios lingua Sumerica semper sacra manebat et ad ritus sacros peragendos atque ad textus sacros conscribendos adhibebatur. Quare Sumeriorum scriptura et lingua in Babyloniorum scholis principem semper obtinebat locum[2] usque ad tempora fere Christi, ubi in usu esse desierunt.[3]

[1] Bene igitur respiciendum est maiorem numerum textuum Sumericorum qui ad memoriam nostram pervenerunt, eius aetatis esse, qua lingua Sumerica iam non populi sermo erat, sed tantum in cultu divino et apud viros doctos usurpabatur. Ut sermo Latinus aetatis mediae a puritate sermonis Romanorum antiquorum vehementer abhorret, ita textus illi Sumerici non modo multos Semitismos continent (quod inde explicatur, quod Sumerii iam temporibus historiam antecedentibus cum Semitis misceri coepti sunt), sed etiam existimandum est in linguam Sumericam, cum exceptis sacerdotibus et viris doctis nemo iam eâ uteretur, multa, quae cum viva voce discrepabant, illata esse. Sequitur, ut Sumerologiae sit e textibus, qui variis temporibus confecti sunt, propriam ac veram linguam Sumericam reperire.

[2] Quod Daniel eiusque socii in regia Babylonia „litteras et linguam Chaldaeorum" discebant (Dn 1, 4), ea lingua certe cum illa, quae hodie lingua Chaldaea appellatur, non est confundenda neque ad solam linguam Sumericam restringenda, sed cum linguam Akkadicam tum Sumericam comprehendere videtur.

[3] Etiam nunc exstant duo textus aetatis Antiochi I Soteris (281—261 a. Ch. n.), praeterea rationes astronomicae usque ad annum a. Ch. n. 80 pertinentes atque exemplaria bilinguium hymnorum Sumericorum, quae annis 131—81 a. Ch. n. conscripti hodie in museo Berolinensi servantur (cf. G. Reisner, Sumerisch-babylonische Hymnen nach Tontafeln griechischer Zeit. Berlin 1896). Atque verisimile est scientiam scripturae cuneiformis et linguae Akkadicae usque in aetatem Christianam permansisse, id quod e variis testimoniis veterum scriptorum Graecorum et Latinorum apparet (cf. G. J. F. Gutbrods, Über die wahrscheinliche Lebensdauer der assyrisch-babylonischen Sprache. ZA, VI, 1891, 26—33).

Adnotatio. — Frd. Delitzsch ut antea ad studium linguae Akkadicae, ita ad philologiam Sumericam libros magni momenti confecit.: Grundzüge der sumerischen Grammatik (Hilfsbücher zur Kunde des Alten Orients 5) Leipzig 1914. Kleine sumerische Grammatik für Nichtassyriologen. Grammatik, Vocabular, Textproben. ib. 1914. Sumerisches Glossar. ib. 1914. Sumerische Lesestücke. ib. 1914. In libro, qui inscriptus est „Assyrisches Handwörterbuch" (Leipzig 1896), unicuique vocabulo Akkadico vocabulum Sumericum ei respondens, si id ex textibus bilinguibus et vocabulariis notum est, Latine transcriptum addidit. Praeterea conferas C. F. Lehmann, Šamaššumukîn, König von Babylonien 668—648 v. Chr. (AB, VIII) p. 57—173. Leipzig 1892. J. D. Prince, Materials for a Sumerian lexicon. With a grammatical introduction. Letters A—Z followed by a reference-glossary of Assyrian words (AB, XIX,) Leipzig 1905, 1907. A. Deimel, Vocabularium Sumericum ad textus archaicos, vdl: historicos et alios quosdam, qui administrationem templorum potissimum et palatiorum principum spectant. Romae 1910. Sumerische Grammatik der archaistischen Texte mit Übungsstücken, (Orientalia IX—XIII) ib. 1924. Sumerisches Lexikon. Rom, I—VIII, 1925—29 (continuatur). St. Langdon, A Sumerian grammar and chrestomaty with a vocabulary of the principal roots in Sumerian and a list of the most important syllabic and vowel transcriptions. Paris 1911. A. Poebel, Grundzüge der sumerischen Grammatik (Rostocker Orientalische Studien I) Rostock 1923. Grammaticas linguae Sumericae in brevem formam contractas ediderunt P. Haupt, Akkadische und sumerische Keilschrifttexte (AB, I, 133—147) et F. Hommel, Sumerische Lesestücke (München 1894) 136—144.

5) Quamquam lingua Sumerica iam satis nota est, tamen ne nunc quidem uni ex notis linguarum familiis pro certo attribui potest. Viri docti, qui eam linguis Turaniis (Germ. Ural-altaische Sprachen). imprimis linguae Turcorum, cognatam esse demonstrare studebant,[1] praeter opinionem successu caruerunt. A lingua quoque incolarum terrae Elam, qui ab oriente Sumerios attingebant, prorsus discrepat. Nonnulli linguam Sumericam ad familiam linguarum Indogermanicarum pertinere existimant(!).[2] Alii eam cum lingua Georgiorum coniungunt.[3] Rursus alii eam cum linguis Bantu (quas H. Stanley centum octoginta duas esse dicit) comparaverunt.[4] Cum linguis quoque incolarum terrae Sûdân* et quidem cum lingua Bornu (accuratius cum dialecto Kanuri) eam cognatam esse contenditur.[5] Sunt quoque qui existiment linguam Sumericam cum linguis Drâvida (in parte meridiana Indiae anterioris)[6] cohaerere, a quibus in vetere testamento vocabula *tukijjîm*, plur. = pavones (in lingua Tamil *tôgai* sive *tôghai*) et *'ahâlîm*, plur. = ligna aloës (in lingua Tamil *aghil*, Graece *ἀγάλλοχον*), in lingua Graeca vocabula *ὄρυζα* = oryza (in lingua Tamil *árishi*) et *κάρπιον* = cinnamomum (in

* Sûdân (terra hominum nigrorum i. e. Nigritarum, ab Arabico *sûd*, plur. vocabuli *aswad* = niger) terra ad Nilum inter circulum aequinoctialem et urbem Chartum sita i. e. terra ab Abessinia occidentem versus atque inter occasum brumalem et meridiem patens intellegitur.

lingua Tamil *káruppu*) recepta sint. Neque vero quidquam aliud nisi opiniones protulerunt[7].

[1] Videas imprimis F. Lenormant, La langue primitive de la Chaldée et les idiomes Touraniens. Paris 1875. O. Donner, Über die Verwandtschaft des Sumerisch-Akkadischen mit den Ural-Altaischen Sprachen (in P. Haupt, Die sumerisch-akkadische Sprache. Verhandlungen des fünften internationalen Orientalisten-Kongresses 1882. Berlin 1883). F. Hommel, Die sumero-akkadische Sprache und ihre Verwandtschaftsverhältnisse (Zeitschrift für Keilschrift-Forschung und verwandte Gebiete I, 1884, 161—178. 195—221. 323—342). Zweihundert sumerisch-türkische Wortvergleichungen als Grundlage zu einem neuen Kapitel der Sprachwissenschaft. München 1915 (Mit zwei Nachträgen). Ethnologie und Geographie des Alten Orients 20—22.

[2] St. Langdon, La syntaxe du verbe Sumérian, Babyloniaca I, 211s. Paris 1908. Conferas imprimis Appendice II: Conjugaisons sumériennes et indogermanique comparées.

[3] M. Tseretheli, Sumerian and Georgian (JRAS, 1913, 783ss; 1914, 1ss; 1915, 256ss; 1916, 1ss.). F. Bork quoque (OLZ, XXVII, 1924, 169—177) linguam Sumericam ad linguas Caucasias pertinere existimat. — Georgia, apud antiquos Iberia, est regio in parte occidentali Transcaucasiae sita. A Russis Grusia, ab indigenis Sakartwelo, a Persis et Turcis Gurdschistan appellatur.

[4] W. Wanger, Konversationsgrammatik der Zulusprache. Marianhill 1917. Scientific Zulu grammar, Vol. I. (Opera Africana, Tom. I.) Stuttgart 1927. Conferas L. F. Van Oordt, The origin of the Bantu. Cape Town 1917. — Vocabulum Bantu e vocabulo, quo in omnibus iis linguis gens appellatur, profectum est: sing. *omu-ntu* = homo, plur. *aba-ntu* = homines, populus.

[5] A. Drexel, Bornu und Sumer, (Anthropos XIV—XV, 1919—20, 215—294). — Bornu est Muhamedanum regnum Nigritarum in media Sûdân situm, quod circiter 140.000 qkm continet et a circiter quinquies centenis milibus hominum incolitur.

[6] Caldwell, A comparative grammar of the Dravidian or South Indian family of languages. London 1875.

[7] E. Stucken (Polynesisches Sprachgut in Amerika und in Sumer. MVAeG, XXXI, 1927, 2) vocabula Sumerica in copia verborum Polynesiorum et gentium eruditarum Americanarum repperit. Idem similitudines linguarum Sumericae et Aegyptiae deprehendit. Ad hoc ostendit linguam Sumericam cum linguis Semiticis quoque atque Indogermanicis aliqua ex parte congruere (!?).

6) Proximis decenniis magna illa controversia, num lingua Sumerica atque gens non Semitica, quae eâ utebatur, fuerit, exstitit (quaestio Sumerica, quae vocatur). Nam *J. Halévy* († ineunte Februario anni 1917) ab anno 1874 contra *J. Oppert*, *F. Lenormant* aliosque magna cum pertinacia (postremum in libro, qui inscriptus est „Précis d'allographie assyro-babylonienne" Paris 1912) contendit scripturam cuneiformem a Semitis inventam eorumque linguae accommodatam esse, textus Sumerico-Akkadicos nihil aliud esse nisi Semiticos, conscriptos autem artificiosum in modum a sacerdotibus Babyloniis inventum, quo facilius doctrinam suam ar-

canam occultarent. Procedente tempore id ita mutavit, ut textus Sumerico-Akkadicos, quos „ideophonicos" appellavit, non scripturâ artificiosâ, sed linguâ artificiosâ confectos esse diceret. Quod quamquam ab initio parum probabile erat, tamen haud pauci viri rerum Babyloniarum periti (inter quos *St. Guyard*, *H. Pognon*, *P. Jensen*, *H. Zimmern*, *M. Jastrow*, *R. E. Brünnow*, *Frd. Delitzsch* ipse) ad tempus J. Halévy adstipulati sunt; nunc vero eum in magno errore versatum esse demonstratum est. Nam quod argumentum firmissimum attulit, inscriptiones haud dubie Sumerice legendas non exstare, id effossionibus recentioris aetatis refutatum est. Quibus multi textus antiquissimi (tertio a. Ch. n. millennio orti) linguâ Sumericâ conscripti in lucem prolati sunt (imprimis in ruinis Telloh et Niffer), unde apparet non modo fuisse gentem, quae eâ linguâ utebatur, eamque Babyloniam incoluisse, sed etiam magna regna condidisse. Praeterea signa cuneiformia ad vocabula huius linguae significanda ab ea gente inventa esse constat. Denique ex imaginibus monumentorum clare apparet duas gentes, alteram Semiticam, alteram non Semiticam, in Babylonia unâ habitavisse. Praeterea ex inscriptionibus et monumentis iam multas res gestas antiquae gentis Sumeriorum cognovimus. Quae cum ita sint, „quaestio Sumerica" hodie iam non exstat, quoniam constat, antequam gentes Semiticae in Babyloniam meridianam immigraverint, ibi gentem non Semiticam habitavisse, quae pro lingua sua a Semitica prorsus diversa scripturam cuneiformem invenerit, quam Semitae postea ab iis mutuati sint. J. Halévy autem optime meruit, quod cultum humanum Babyloniorum non tantum originis Sumericae esse, sed etiam Semitas ad eum excolendum multa contulisse demonstravit. Neque „quaestio Sumerica", nisi J. Halévy aliorum de ea sententias acerrimo ingenio percensuisset, unquam tam subtiliter examinata esset, quam re vera factum est, atque illi imprimis debetur, quod Sumerologia hodie in fundamentis prorsus firmis posita est.

Conferas v. c. J. Oppert, Sumérien ou Accadien? (Extrait du Journal Asiatique) Paris 1876. Terrien de la Couperie, The Sumerian and Accadian dialects (The Academy, 1. July 1882). St. Guyard, Bulletin critique de la religion assyro-babylonienne. La question suméro-accadienne. Paris 1882. E. Schrader, Zur Frage nach dem Ursprung der altbabylonischen Cultur. Berlin 1884. C. F. Lehmann, Šamaššumukîn, König von Babylonien 668 bis 648 v. Chr. (Leipzig 1892) 57—173: Die Existenz der sumerischen Sprache. F. H. Weißbach, Die sumerische Frage. Leipzig 1898. Ch. Fossey, Manuel d'Assyriologie. I. Paris 1904. S. Landersdorfer, Die sumerische Frage und die Bibel 3—17 (BZF, VIII, 12) Münster i. W. 1917.

Pars posterior

De Sumeriorum cum vetere testamento rationibus*

Sumerii ipsi cum Israelitis nunquam ullum commercium habuerunt, propterea quod non solum sedes earum gentium inter se multum distabant, sed etiam quo tempore gens Israelitica exstitit, eo Sumerii iam non sui iuris erant. Sequitur, ut Sumerii ipsi ad Israelitas nihil pertinere potuerint. Quamquam in vetere testamento multa, unde Sumerios intercedentibus Babyloniis vehementer ad gentem Israeliticam pertinuisse apparet, invenimus. Quod exponere nunc nostrum est.

I.

Quae terra nomine biblico Sin'âr significetur

Si de Sumeriorum cum vetere testamento rationibus agimus, primo reperiendum est, num nomen terrae *Šumêr* in vetere testamento inveniatur. Quod, quantum equidem iudicare possum, cum haud paucis viris rerum Babyloniarum peritis concedendum est, quoniam proxime ad verum accedit nomen *Šin'âr*, quod octiens in vetere testamento scriptum legimus, nomini Šumêr aequandum esse.

I. Quam terram nos ab eius capite temporis posterioris Babyloniam (*Βαβυλωνίαν*) denominamus, ea in sacris litteris *Šin'âr*, LXX *Σενναάρ*, Vulg. *Sennaar*, apud Jos. Ant. Jud. 1, 4. 1 et 3 (§ 110 et 119) *Σεν(ν)αάρ* appellatur. Quî factum sit, ut Babylonia eo nomine vocaretur, diiudicari non potest. Et cum nomen terrae Šin'âr

* Videas S. Landersdorfer, Die sumerische Frage und die Bibel 17—40.

in textibus cuneiformibus nondum phonetice scriptum inventum sit, id quoque non constat, quo modo ab indigenis pronuntiatum sit, quamquam quibus signis in scriptura reddatur, non ignoramus. Si, id quod nonnulli (inter quos F. Hommel, H. Winckler, E. Sellin) existimant, Gn caput 14 initio signis cuneiformibus scriptum erat, ibi nomen Babylonium nomini Šinʿâr respondens usurpatum sit necesse est.

J. Oppert (Expédition scientifique en Mésopotamie I, 259. Paris 1863) arbitratur nomen Šinʿâr Hebraicae esse originis, ex duobus vocabulis *šenê* (duo) et *nâhâr* (flumen) compositum. Idem G. Rawlinson (The five great monarchies of the ancient eastern world[3] I, 2. n. 2. London 1873) et J. G. van Zeebrok (Les sciences modernes en regard de la Genése de Moise 225. Bruxelles 1892) existimant. Quod si verum est, nomen Šinʿâr „duo flumina, terram inter duo flumina sitam" significat, ut eundem sensum ac nomen Graecum *Μεσοποταμία* habeat. Contra quam originationem dicas in nomine Šinʿâr litteram *ʿAjin* inveniri, cum vocabulum *nâhâr* litteram *Hê* habeat. Complures viri docti nomen Šinʿâr = Šumêr a vocabulo Sumerico *ki-en-gi(n)* ducendum esse iudicant, de qua originatione infra dicemus.

In nomine Šinʿâr nomen *Sirgulla* servatum esse, quo nomine non urbs eius nominis in Babylonia meridiana sita (= *Lagaš*), sed Babylonia universa significetur, in quam id nomen iam antiquissimis temporibus translatum sit (F. Hommel, Ethnologie und Geographie des Alten Orients 300), propterea probandum non est, quod haec translatio ipsa demonstrari non potest.

1. Si eos locos biblicos, ubi terrae Šinʿâr mentio fit, spectamus, dubium non est, quin eo nomine tota Babylonia significetur.

a) Gn 10, 10 de Nimrod dicitur: „Erat initium (*rêʾšît*) regni eius Babel et Erech et Akkad et Kalneh in terra Šinʿâr" i. e. initia regni ab eo fundati erant eae urbes, quae omnes, cum non ab eo conditae esse dicuntur, iam fuisse videntur.[1] Babel, Erech, Akkad haud dubie in Babylonia fuerunt, ut nomine Šinʿâr Babylonia et septentrionalis et meridiana significetur. Kalneh autem ubi sita fuerit, nondum repertum est. Contextus sermonis postulat, ut et ipsa in Babylonia et quidem prope ceteras urbes quaeratur.[2] Vix erramus, cum ponimus Erech, Akkad, Kalneh antiquas urbes copiâ negotiatorum et mercium celebres fuisse, iuxta vias in urbem Babel ferentes sitas.

[1] Cum *rêʾšît* non „initium" tantum, sed etiam „id, quod praecipuum est", et „caput" significet, sunt qui iis verbis indicari arbitrentur urbes, quarum hic mentio fit, maiores et praecipuas fuisse ibique Nimrod imperium collocasse, cum aliae minores iis parerent.

[2] In Talmud Babli Joma 10a de Kalneh dicitur: כלנה זה נופר נינפי = Kalneh quae est Nufar NINPI.

b) Gn 11, 2 scriptum legimus: „Factum est, cum (homines post diluvium) proficiscerentur ab oriente (*miḳḳedem*), invenerunt planitiem in terra Šinʿâr et consederunt ibi." Quae verba excipiuntur narrationibus de turri Babylonica exstructâ, de linguis confusis, de hominibus per terras dispersis. Ex v. 9 apparet „planitiem in terra Šinʿâr" nullam aliam planitiem nisi Euphratis i. e. Babyloniam intellegi posse.

Quo modo hîc *miḳḳedem* accipiendum sit, interpretes dissentiunt. Atque nonnulli de vi eius vocabuli ita iudicant: Si verbum *nâsaʿ* „proficisci" valet, *miḳḳedem* eum locum significare potest, unde homines profecti sunt. At „proficiscendo" nondum ad planitiem Šinʿâr pervenerunt. Verbum igitur *nâsaʿ* „migrare" valet et loquendi formula *nâsaʿ miḳḳedem* „migrare orientem versus", quod ex persona scriptoris biblici dicatur, quippe qui in Palaestina sit cuique incolae quoque Mesopotamiae *benê ḳedem* sint (cf. Gn 29, 1). Ex mea opinione *miḳḳedem* hîc „ab oriente" significat; quod cum obvio ac frequentissimo eius usu (Gn 3, 24; 12, 8; 13, 11; Nm 34, 11; Jos 7, 2; Jdc 8, 11; Ez 11, 23) tum omnibus fere veteribus conversionibus (LXX, Vulgata, Peschittâ, Arabica, textu Samaritano) confirmatur. Nam quamquam montes Armeniae (*'Arârâṭ*), ubi arca Noah stetisse dicitur (Gn 8, 4) undeque homines post diluvium in varias orbis terrarum partes se effuderunt,* a terra Šinʿâr septentriones, non orientem versus siti sunt,** tamen ex loco allato colligendum non est homines sedes quaerentes brevissimâ viâ ex Armenia in terram Šinʿâr profectos esse. Cum post diluvium aquae recederent quidem, sed non omnia loca statim ad habitandum idonea essent, dum loca inferiora et campi vel aquis inundabantur vel paludibus stagnabant (id quod imprimis de „planitie in terra Šinʿâr" affirmandum est), homines initio in regionibus montanis commoratos esse probabile est. Cum igitur aucta progenies Noah sedes quaerere coepit, aliqua eius pars meridiem versus profecta primo regiones montanas occupasse, deinde „ab oriente" migrans, „planitiem in terra Šinʿâr" invenisse ibique consedisse videtur.

'Arârâṭ (Sam. הררט) est nomen regionis Armeniae inter flumen Araxen (Turc. et Arab. *Ras*, Arm. *Erasch*, Georg. *Rakschi*) et lacus Vân (Wân) et Urmia (etiam *Derja-Schahi* i. e. lacus regis) sitae, quae usque ad hanc aetatem *Airarat* (apud Mosen Chorenazi, celeberrimum historiae Armeniorum scriptorem, *'Araiarat*) appellatur. Ita nomen 'Arârâṭ loco Jer 51, 27 intellegendum est.*** Haud aliter Hieronymus quoque id nomen intellegit, cum dicit: „Ararat regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis, qui usque illuc extenditur" (Comm. in Jes 37, 38. MSL 24, 389). Postea autem nomen 'Arârâṭ ad totam Armeniam translatum est. In inscriptionibus Assyriis Armenia *mât Urarṭu, Urarṭu, Urarṭaai*, in Babyloniis *mât Urašṭu, Uraašṭu* nominatur.

---

* Ex Gn 9, 20 apparet Noahidas e regione ad vites colendas apta, quae a montibus 'Arârâṭ meridiem versus sita erat, emigrasse.

** Sunt qui existiment totum ad orientem Tigridis regionum tractum olim nomen *ḳedem* (= oriens) habuisse ideoque etiam 'Arârâṭ ad „orientem" pertinuisse, quamquam a Mesopotamia septentriones versus situs est.

*** Ibi 'Arârâṭ unâ cum *Minnî* (Akk. *Mannai*) et *Aškenâz* (Akk. *Ašgûza, Iškûza*) commemoratur. Nonnulli existimant 'Arârâṭ et Minnî Armeniam maiorem vel orientalem, 'Aškenâz Armeniam occidentalem significare.

A. Šanda (Untersuchungen zur Kunde des alten Orients I, 14—38 [MVAG, VII, 2], cf. BZ, II, 1904, 113—121) demonstrare studet *harê 'arârâṭ* (Gn 8, 4) montem eius nominis (in inscriptionibus cuneiformibus regis Assurnaṣirpal *A-ra-ar-di* [d = ṭ] = 'Arârâṭ, cf. Herod. Hist. 3, 94; 7, 79 'Αλαρόδιοι = 'Arârâṭ) in regione montana Ḳardu (prope Sört-Saird) assurgentem intellegendum esse. Quod adhuc 'Arârâṭ idem esse atque Urarṭu existimabatur, id omittendum esse; nam Urarṭu ab 'Arârâṭ-Arardi prorsus diversum esse. Quae cum ita sint, Gn 8, 4 vertendum esse: „in montibus 'Arârâṭ, qui vocantur", non: „in montibus (regionis) 'Arârâṭ". Locis 2 Rg 19, 37 = Jes 37, 38; Jer 51, 27 punctationem masoreticam 'Arârâṭ falsam esse et pro ea Ararat pronuntiandum.

c) Gn 14, 1 scriptum legimus: „Factum est diebus Amraphel, regis Šin'âr, Ariok, regis Ellasar, Kedorla'omer, regis Elam, et Tidal, regis Gojim, cum bellum inirent" etc. Hîc utrum solum nomen Amraphel an cetera quoque nomina genitivi ad statum constructum *bîmê* pertinentes putandi sint, etsi non liquet, tamen quae conversio praeter ceteras animo obicitur, haec est: „Factum est diebus Amraphel, regis Šin'âr, cum bellum inirent Ariok" etc. LXX: *Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμραφὰλ βασιλέως Σενναὰρ, Ἀριὼχ βασιλεὺς Ἐλλασὰρ . . . ἐποίησαν πόλεμον* etc. Quae si recte se habet, rex Amraphel tantum temporis indicandi causâ commemoratur. Amraphel autem vulgo cum Ḫammurapi aequatur.[1] Šin'âr vero quin Babylonia intellegenda sit, non est dubium. Ḫammurapi, etsi primis annis regni sui Rîm-Sin, regi Larsa (= Ellasar,) qui „rex Sumer et Akkad" appellabatur,[2] subditus erat, tamen „rex Šin'âr" nominari poterat.

[1] Nomina *Ḫammurapi* et *Amraphel*, quamquam diversa esse videntur, tamen aequanda esse J. Hontheim (ZkTh, XXXVI, 1912, 48—50) demonstravit, quod Ḫ in nomine Ḫammurapi nonnunquam desit, littera *u* ex notis legibus in Schwa mobile mutetur, dei nomen *ilu* nomini Ḫammurapi saepe praepositum in lingua Hebraica ut appositio vocabulo postponatur, ut ex iis litteris in unum vocabulum contractis secundum notas sonorum leges nomen Amraphel efficiatur. Idem (ib. 50—63) demonstravit Amraphel, regem Šin'âr, cuius Gn 14, 1. 9 mentio fit, eundem esse atque Ḫammurapi, sextum regem primae domus regnatricis Babyloniae. Conferas etiam *P. Dhorme* (RB, N. S. V, 1908, 205—226), *W. T. Pilter* (PSBA, XXXV, 1913, 171—186. 244s.), *A. Deimel* (Biblica VIII, 1927, 351—353). — Alii viri docti (velut C. Bezold, A. Ungnad, F. M. T. Böhl, A. Jirku) nomen Amraphel nomini Ḫammurapi aequandum esse negant. At si nomine Amraphel non Ḫammurapi significatur, quis rex Asiae anterioris celeber eo nomine intellegendus est? Atqui Amraphel regem celebrem fuisse e Gn 14, 1 perspicimus, ubi expeditio regum orientis contra Palaestinam facta eius aetati attribuitur, quamquam non Amraphel, sed Kedorla'omer in enumeratione illorum regum primo loco nominatur (v. 9). — Videas etiam P. E. Burrows in Journal of the Asiatic society 1925, 281 ss.

[2] Ex inscriptionibus cuneiformibus cognovimus Rîm-Sin filium Kudur-Mabuk, filii Simtišilḫak, regis Elamitarum, fuisse. Simtišilḫak autem etiam tum, cum

eius nepos iam „rex Sumer et Akkad" erat, vixisse non est verisimile. Inscriptionibus igitur diiudicandum non est, quis tum, cum bellum a scriptore biblico narratum gerebatur, rex Elamitarum fuerit. Gn 14, 1.9 Kedorlaʿomer ille rex fuisse dicitur, qui fortasse frater aliquis maior Kudur-Mabuk erat. Itaque verus dominus regni Šinʿâr tum rex Elamitarum erat.

Rîm-Sin (1985—1925) frater decessoris sui Warad-Sin (1997—1986) erat. Kudur-Mabuk et in suis et in filiorum inscriptionibus nomine „patris Emutbal" (*ad-da E-mu-ut-ba-la* vel *a-bu E-mu-ut-ba-la*) et „patris terrae Amurrû" (*ad-da kur MAR.TU*) ornatur. Emutbal est regio Babyloniam et Elam discernens cum capite Dêr. Amurrû autem hîc non, ut vulgo putabant, Syriam, sed eam regionem, quae Emutbal a septentrionibus atque occidente attingens usque ad Assyriam pertinebat, significat. In inscriptione quadam (Revue d'Assyriologie II, 121—124) Kudur-Mabuk se urbem Larsa imperio urbium Kazallu et Mutiabal liberasse ibique Warad-Sin filium regem instituisse memoriae prodit. Ex inscriptionibus Warad-Sin (VAB, I, 1, 210—216) cognovimus eum urbes Larsa, Ur, Eridu, Lagaš, Girsu, Ḫallab imperio rexisse et titulum „rex Sumer et Akkad" gessisse. Quae cum ita sint, terra regum primae domus regnatricis Babyloniae, qui eodem tempore regnabant (Sâbum 2007—1994 et Awêl-Sin 1993—1976) haud magna fuisse potest. Potentia regis Kudur-Mabuk ab urbe Eridu septentriones versus usque ad Assyriam pertinebat, et cum in eiusdem dicione terra Elam quoque esset (E. Meyer, Geschichte des Altertums I³, 620—627), magnum sibi imperium pepererat. Eius imperii quod Babyloniae erat, id ad Warad-Sin filium, qui in urbe Larsa domicilium habebat, detulerat. Kudur-Mabuk etiam primis annis regni Rîm-Sin vixit (VAB, I, 1, 218 et 220, e et f), qui imperium urbibus Nippur, Uruk, Isin captis auxit. Eodem tempore in urbe Bâbel Sin-muballiṭ, quintus rex primae domus regnatricis Babyloniae (1975—1956), regnavit, quocum Rîm-Sin complura bella gessit. Anno 1955 Ḫammurapi rerum potitus est, qui anno tricesimo primo regni sui (1925) illius regno finem fecit.

Num nomen Ariok, regis Ellasar, ad pronuntiationem Sumericam *Eri-Aku* (= *eri* i. e. servus et *aku*, quod est nomen dei lunae Sin) nominis Semitici Rîm-Sin referendum sit, H. Zimmern in KAT 367 incertum esse dicit.

d) Gn 14, 9 scriptum legimus: „Reges Palaestinae instruxerunt aciem „adversus Kedorlaʿomer, regem Elam, et Tidal, regem Gojim, et Amraphel, regem Šinʿâr, et Ariok, regem Ellasar." Hîc reges foederati iterum, sed alio ordine enumerantur, ut Kedorlaʿomer ceteris praepositus sit. Ubi autem terra Šinʿâr sita fuerit, ut perspiciatur, hoc loco nihil affertur.

e) Jos 7, 21 scriptum legimus: „Vidi in praeda (inter praedam) pallium Šin-ʿâr, unum, bonum, et ducentos siclos argenti" etc. Si respicimus texta Babylonia iam antiquissimis temporibus et etiam aetate Romanorum (cf. Martial. Epigr. 8, 28. Jos. Bell. Jud. 7, 5. 5. § 134) clara fuisse, dubium non est, quin Šinʿâr hîc Babyloniae aequanda sit.

Babylonii ab antiquis scriptoribus ob eximiam texendi artem celebrantur, praesertim cum „colores diversos picturae intexere scirent" (Plin. Hist. nat. 8, 48, 196). Quae texta Romae tanto in pretio erant, ut Catonis aetate „tricliniaria Babylonica sestertium octingentis milibus venisse" dicantur (ib.).

f) Jesaia 11, 11 praedicit Jahven Judaeos ex omnibus gentibus terrae, in quibus dispersi sunt, collecturum: „Illo tempore iterum Dominus extendet manum suam ad comparandas sui populi reliquias, quae restiterunt, ex Assyria, Aegypto, Patros, Aethiopia, Elam, Šinʿâr, Hamath, insulis maris." Hîc quoque nomine Šinʿâr nihil aliud significatur nisi Babylonia, quoniam mireris inter terras, quas propheta nominat, Babyloniam non commemorari (cf. LXX *ἀπὸ Βαβυλωνίας*). Ceterum non accepimus ullam aliam rem publicam Asiae anterioris pari aut simili nomine eandemque satis magnam fuisse, ut propheta eam in indicem maiorum rerum publicarum reciperet.

g) Sach 5, 11 scriptum legimus: „Ille (angelus) respondit mihi: Ad exstruendam ei (mulieri, symbolo impietatis) domum in terra Šinʿâr, et stabiliatur (domus) et collocetur ibi (amphora cum inclusa impietate) super basi sua." Quamquam manifestum non est nomine Šinʿâr hîc Babyloniam significari, tamen nihil grave contra hanc interpretationem dici potest (cf. LXX *ἐν γῇ Βαβυλῶνος*).

h) Dn 1, 2 memoriae proditur Nebukadnezar II ‚regem Babyloniae, vasa e templo Hierosolymitano rapta in terram Šinʿâr, in domum (i. e. thesaurum) dei sui transtulisse: „Dedit Dominus in manum eius (regis Babyloniae) Jojakim, regem Juda, et partem vasorum domus Dei et abduxit ea in terram Šinʿâr, in domum dei sui." Secundum contextum sermonis Šinʿâr hîc nihil aliud nisi Babyloniam valere potest (cf. Jer 28, 3).

Quinque ex octo locis allatis (Gn 10, 10; 11, 2; 14, 1. 9; Dn 1, 2). Šinʿâr haud dubie Babyloniam significat; uno loco (Jes 11, 11) idem saltem verisimillimum est; neque quidquam obstat, quominus reliqui loci (Jos 7, 21; Sach 5, 11) eodem modo explicentur. Quae cum ita sint, scriptores biblicos nomen Šinʿâr ex antiquissimis temporibus usque ad extrema a. Ch. n. saecula haud dubie Babyloniam intellexisse necesse est. Atque Israelitae id nomen ad totam Babyloniam significandam adhibebant, cui rei non obstat, quominus Gn 14, 1. 9 praeter „regem (terrae) Šinʿâr" etiam „rex (urbis) Ellasar" commemoretur. Immo vero id cum textibus cuneiformibus congruit, quippe cum ibi a summo „rege (terrarum) Sumer et Akkad" reges singularum urbium, qui ei parebant, discernantur.

Haud raro autem *Šinʿâr* cum *Mesopotamia*, quae tota planities inter Euphraten et Tigridem sita intellegi videtur, confunditur. Velut Act 7, 2 urbs patria Abraham, quae haud dubie in terra Šinʿâr sita erat, Mesopotamiae esse dicitur.

At pars septentrionalis illius planitiei, quae a Tauro usque ad Baghdâd pertinet, non terrae Šinʿâr attribui potest, quoniam non solum aliis locis biblicis (Gn 24, 10; Dt 23, 5; Jdc 3, 8; Ps 60, 2; 1 Chr 19, 6) nomine *'Aram naharajim* (= Aramaea sive Syria interamnis, in ep. Amarna *Na'rima* et *Nârima*, Aeg. *N(a)h(a)rina*) vel *Paddan 'Arâm* (Gn 25, 20; 28, 2. 5—7; 31, 18; 33, 18; 35, 9. 26; 46, 15. — Hos. 12, 13 *sedê 'Arâm*), semel simpliciter *Paddân* (Gn 48, 7) significatur, sed etiam scriptores profani terram Šinʿâr unâ cum Syria et Mesopotamia commemorant.* Nomen autem Mesopotamiae eandem terram atque 'Aram naharajim valere cum conversiones Graecorum Alexandrinorum et Vulgatae Gn 24, 10; 28, 2; Jdc 3, 8; 1 Chr 19, 6; Ps 59, (60) 2 tum contextus quoque locorum Jdth 2, 14 et 3, 1 (secundum Vulgatam): Holofernes ex Asia minore traiecto Euphrate in Mesopotamiam venit, demonstrant.**

F. M. T. Böhl (ZAW, XXXVI, 1916, 69) contendit praepropere dici nomen. Šinʿâr Gn 14, 1. 9 Babyloniam significare; ceteris quidem locis biblicis, ubi id scriptum legimus, etiam Babyloniam significare, initio autem partem aliquam regni Mitanni significasse et paulatim demum latius patere coepisse. Ad quae E. König (Die Genesis² 485. n. 4) iure adnotat temere poni Gn 14, 1. 9 nomen Šinʿâr aliam terram atque ceteris locis biblicis significare. — A. Jirku (Altorientalischer Kommentar zum Alten Testament 40s. Leipzig-Erlangen 1923) Šinʿâr terram a Babylonia distinguendam et fortasse in Mesopotamia septentrionali quaerendam esse putat (cf. Sindschâr, quae urbs apud antiquos Singâra, [*Σιγγάρα, Σίγγαρα*] appellabatur, et Dschebel Sindschâr [*Σίγγαρον ὄρος*], qui ab urbe Mosul occidentem versus situs est); terram Šinʿâr inter annos a. Ch. n. 1500 et 1200 Babyloniâ, cum eius opes tum comminutae essent, plus valuisse, ut nomen Šinʿâr ad totam Mesopotamiam significandam usurpata sit, sicut in Palaestina nomen parvae regionis *Peleschet* (= terra Philistaeorum) adeo paulatim evaluerit, ut tota terra eo vocaretur; tantum Dn 1, 2 nomen Šinʿâr Babyloniam significare; ceteris locis biblicis regionem Mesopotamiae septentrionalis vel Mesopotamiae vicinam intellegendam esse. Quae sententia in eo posita est, quod A. Jirku Šinʿâr eandem terram esse atque *Šanḫar* (ep. Amarna 35, 49, de qua statim agemus), hanc autem, id quod ante dicit, in Mesopotamia septentrionali quaerendam esse existimat. E. Meyer quoque (Aegyptiaca. Festschrift für G. Ebers, 63. Leipzig 1897) Šingâra (in indicibus tributorum Pharaonis Thutmes III Sangar) nomen Babyloniae esse dicit et cum Šinʿâr, proprie Shingar, coniungit. Item F. Hommel (Ethnologie und Geographie des Alten Orients 6) nomen Šinʿâr cum Dschebel Sindschâr, sub quo urbs Singâra sita erat, cohaerere putat. At Šinʿâr cum Singâra aequari non posse iam F. Tuch (De Nino urbe animadversiones tres 5s. Lipsiae 1845) demonstravit.

2. Quaestio oritur, terrane *Šanḫar*, cuius in textibus cuneiformibus mentio fit, cum Šinʿâr = Babylonia aequanda sit.

Rex insulae Cypri (*šar mâtu a-la-ši-a*) in epistula quadam ad Amenḫotep III vel Amenḫotep IV eius successorem missa (ep. Amarna 35, VAB, II, 1, 282—286) ab eo petit, ne cum rege He-

---

* Velut *Gregorius Barhebraeus* (Bar ʿEbraja, Arab. Abul-Faradsch) saepe terrae Sinʿâr unâ cum Atur vel etiam Mosul (Assyria) atque unâ cum Mesopotamia et Syria mentionem facit (P. J. Bruns et G. W. Kirsch, Abulfaragii chronicon syriacum I, 93. 256. 529. 565. Lipsiae 1789).

** Conferas J. Z. Horowitz, Aram naharajim (in *A. M. Luncz*, Jerusalem XI—XII, 1916, 237—282). Quae commentatio linguâ Hebraicâ scripta est.

thaeorum aut cum rege terrae Šanḫar foedus ineat: (49) *it-ti šarri ḫa-at-te ù it-ti šarri ša-an-ḫa-ar* (50) *it-ti šú-nu la ta-ša-ki-in* i. e. cum rege Ḫatti et cum rege Šanḫar, cum illis nullum foedus ineas. Cum sonorum ratione habitâ nomen Šanḫar Hebraico Šin'âr par esse existimandum sit, Šanḫar eandem terram significare potest quam Šin'âr. Rursus Šanḫar regionem a Babylonia diversam significare e textu quodam in Boghazköi invento, quem *O. Weber* edidit (VAB, II, 2, 1082), cognoscimus, ubi variae regiones et urbes commemorantur:

1. *Assur, Babilu, mât* ^{alu} *Ša-an-ḫa(-ar)* . . . .
2. . . . *ia mât* ^{alu} *al-zi-ia mât* ^{alu} *pa-pa-aḫ-ḫi* . . . .
3. . . . *mât* ^{alu} *lu-ul-lu-Pi mât* ^{alu} *ar-za-Pi* . . . .

Hîc igitur sermo est de terra urbis Šanḫar,* quae a Babilu prorsus distincta est. Sed dubium est, num lectio *Ša-an-ḫa-(ar)* recta sit.

Nomen Šanḫar etiam in textu quodam cuneiformi linguâ Mitanni scripto occurrere videtur: *kur ša-an-har-ra-ša-ni-im* (cf. F. Bork, Die Mitannisprache [MVAG, XV, 1—2] 121). At hic textus non est clarus. E contextu sermonis hoc unum colligi potest de aliqua urbe agi, quamvis determinatio *kur* potius regionem indicet.

H. Winckler (KAT 31. 238) terram Šanḫar (= *Sankara* Aegyptiorum) ab Euphrate occidentem versus sitam esse putat et cum regione inter Taurum et Antitaurum sita, quam Assyrii Muṣri vocant, aequat. — *J. A. Knudtzon* (VAB, II, 2, 1081s.) eam in regione rivi Sagur (*sa-gu-ra, sa-gu-ri, sa-gú-ri*, hodie *Sâdschûr*), qui a Karkemiš meridiem versus in Euphraten influit, quaeri posse existimat. In ea regione aetate regis Assurnaṣirpal I (1049—1031) eiusque filii Salmanassar II (1030—1019) hominem Gargamišaeum, cuius nomen *Isa-an-ga-ra,-Isa-an-gar,-Isa-ga-ra* scribatur, regnasse. Proprium nomen eius regionis adhuc notum non esse. Ubi si fuerit regnum, id (cum regnis Mitanni, Arzawa, Ḫatte, Nii, Nuḫašše circumdatum esset) magnum fuisse non posse. Neque necesse esse Šanḫar magnum regnum existimari. Atque cum ex epistula quoque Amarna 30 colligi possit a regno Mitanni occidentem versus (inter occasum brumalem et meridiem) regnum sui iuris fuisse, id regnum cum terra Šanḫar aequandum esse videri. — *O. Weber* (VAB, II,

* A. Jirku, Die Determination „Land der Stadt" und die hethitischen Bilderinschriften (OLZ, XXVII, 1924, 252 s.). Conferas etiam H. Winckler in MDOG, 1907, nr. 35, 13 s.

2, 1082s.), cum e textu in Boghazköi invento appareat Šanḫar non Babyloniam significare posse, id quoque maxime dubium esse putat, num nomine Šinʿâr Babylonia significetur. Šanḫar autem in parte septentrionali Mesopotamiae quaerendam esse. Atque existimari posse vico Sagur et monte Singâr, quibus nominibus antiquum nomen servatum esse videatur, regnum ab occidente et ab oriente terminatum esse. Quam quidem regionem partem regni Mitanni fuisse, sed totum regnum Mitanni etiam nomine partis regni significatum esse posse. In epistulis regis insulae Alašia nomen Mitanni non occurrere. Qui rex quod Pharaonem hortatur, ne cum regibus Hethaeorum et terrae Šanḫar se coniungat, regem terrae Šanḫar regem terrae Mitanni intellegi verisimile esse. Nomine quoque biblico Šinʿâr Mitanni (i. e. partem pro toto) significari iudicandum esse. Nomen enim Mitanni in sacris litteris non reperiri, quod vehementer mireris, quoniam ea gens summi momenti sit.

3. In inscriptionibus Aegyptiis saepius terra quaedam in Asia anteriore sita nomine *šʿ-n-g-rʿ* commemoratur. Velut Thutmes III in annalibus suis* memoriae prodit se tributum et principum Libani et principis terrae *šʿ-n-g-rʿ* accepisse, qui sibi cum alias res tum lapides lazuli (*ḫsbd*), qui Babyloniâ (*bbrʿ*) oriundi sint, dederit. In sigillo quodam Amenḥotep III se expugnatorem terrae *šʿ-n-g-rʿ* nominat.** Atque sunt qui existiment nomen Aegyptium *šʿ-n-g-rʿ* eandem terram significare ac nomen biblicum Šinʿâr i. e. Babyloniam, quippe cum linguarum ratione habitâ aequationi Aegyptii *šʿ-n-g-rʿ* et Hebraici Šinʿâr nihil obstet. Atqui minime probabile est principem terrae *šʿ-n-g-rʿ*, qui Pharaoni Thutmes III „Babylonios lapides lazuli" misit, regem Babyloniae esse; nam verba „Babylonii lapides lazuli" intellegi non possunt, nisi illi lapides e Babylonia in terram *šʿ-n-g-rʿ* importati sunt. Ad hoc ne unus quidem locus afferri potest, ubi Aegyptium *šʿ-n-g-rʿ* Babyloniam significet. Quod nomen saepe occurrit in indice regionum, quae Pharaonibus parebant, Babylonia autem nunquam Pharaonibus subiecta erat.

---

* J. H. Breasted, Ancient records of Egypt. Historical documents from the earliest times to the Persian conquest (Chicago 1906) II, 483 ss.

** PSBA, XXI, p. 155. pl. III, nr. 36. — Locos, quibus nomen *šʿ-n-g-rʿ* occurrit, M. Müller (Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern 279. Leipzig 1893) collegit.

Quae cum ita sint, *š'-n-g-r'* non eandem terram significat ac *Šin'âr* (Babyloniam). Nihil autem obstat, quominus *š'-n-g-r'* cum *Šanḫar* aequetur, quae terra et ipsa extra Babyloniam quaerenda est.

4. Tria igitur nomina *Šin'âr*, *Šanḫar*, *š'-n-g-r'* illa quidem sono similia, vi autem diversa sunt: nomine biblico *Šin'âr* haud dubie Babylonia significatur; *Šanḫar* terram extra Babyloniam sitam esse constat; in *š'-n-g-r'* idem cadere videtur. Quae cum ita sint, *Šin'âr* cum *Šanḫar* et *š'-n-g-r'* conferri non potest, nisi forte locis biblicis fidem habendam esse negatur. Sed etsi cum criticis recentioris aetatis eos posterioribus demum temporibus scriptos esse putes, tamen ex iis apparet Israelitas Babyloniam nomine Šin'âr significasse. Quod nomen posterioribus temporibus ab alia quadam gente receptum esse neque biblicis neque profanis locis demonstrari potest.

Ceterum videas S. Landersdorfer, Das Land Šin'âr (BZ, XI, 1913, 350—363). A. Deimel (Biblica VIII, 1927, 354s.).

II. Ut supra diximus, nomina „Sumer et Akkad" totam Babyloniam significasse ex textibus cuneiformibus constat, quamquam iis nominibus in regum titulis non semper idem regni eorum ambitus indicatur. Quod non mireris, quoniam uno eodemque nomine geographico alio tempore alius eiusdem regionis ambitus significatur. Idem in nomen Šumêr cadit, imprimis apud exteros. Etiam nomen biblicum Šin'âr non solum meridianam Babyloniae partem, sed totam Babyloniam valuisse supra demonstravimus. Quare haud pauci viri rerum Babyloniarum periti *Šin'âr* cum *Šumêr* aequandum esse existimant.

Atque *S. Landersdorfer*,* si non certum, attamen verisimile esse dicit terram Šin'âr ratione linguae habitâ cum Šumêr aequandam esse. Antiquissimum terrae Šumêr in textibus cuneiformibus nomen esse *kingi(n)* i. e. terram *κατ' ἐξοχήν*,** unde saeculis procedentibus nomen Šumêr profectum esse. Nam *k* ante *i* facile fieri *š*, *n* autem in fine in *r* mutari. Ad id vocabulum *Šingir* nomen Šin'âr referendum esse. Cum littera *g* a Semitis terras occidentales habitantibus litterâ *'Ajin* reddatur (cf. כדרלעמר, Kedorlâ'ômer = Kudur-Lagamar), litteram *a* secundae syllabae explicari. Postea *ng* in *m* transisse, cuius rei alia quoque exempla inveniantur (*dingir* — *dimir* = deus; *gingira* — *gimir* = cognomen

* Sumerisches Sprachgut im Alten Testament 22 s.
** Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar 121.

deae Ištar). Postremo, fortasse iam prius, vocalem *i* ante *m* in *u* mutatam esse. Illud quidem haud dubium esse, quin legum sonorum ratione habitâ fieri possit, ut nomina *kingi(n)*, *Šinʿâr*, *Šumêr* aequentur, et cum nulla alia explicatio, quamquam litterarum monumenta signis cuneiformibus confecta satis cognoscimus, prolata sit, eam aequationem verisimilem esse. Quod contra dicatur nomen Šumêr non par idemque esse atque nomen Šinʿâr, id nullius esse momenti, cum parum acceperimus, quo ambitu terra Šumêr tempore historiam antecedente esset.

*A. Deimel** aequationem Šumêr = Šinʿâr nullas habere difficultates dicit. Nam quamquam Šumêr in textibus cuneiformibus nomen Babyloniae meridianae sit, cum Šinʿâr totam Babyloniam significet, tamen nobis ignotum esse, num Šumêr et Akkad iam antiquissimis temporibus discerni solitae sint. Quod primum fieri, quantum scimus, in inscriptionibus ultimae domus regnatricis urbis Ur (2296—2186). Contra nomine Šumêr, quod haud dubie nomen maioris momenti sit, quoniam semper primo loco ponatur, iam in textibus, qui aetatis regis Ur-Ninâ (circiter 2900)** antecedentis sint, terram vocari. Nam in duobus textibus Fâra (VAT 12454 et 12736)*** urbes Erech, Adab, Nippur, Lagaš, Šuruppak, Umma ad terram *en-gi-ki* (= Šumêr) pertinere plane dicuntur. Quod Gn 10, 10 Šinʿâr totam Babyloniam significet indeque ceteris locis biblicis, ubi nomen Šinʿâr occurrat, eo demonstrari illum locum vetustissimum esse; neque enim postea, cum Babylonia vulgo in Šumêr et Akkad divideretur, quemquam iam nomen Šinʿâr ad totam Babyloniam significandam elegisse existimandum esse.†

Praeter alios Frd. Delitzsch quoque (Wo lag das Paradies? 198s.). F. Böhl (Sumer en Akkad. In „Stemmen des Tijds" 1915, 11ss.), J. Theis (Sumerisches im Alten Testament 27), E. König (Hebräisches und aramäischse Wörterbuch zum Alten Testament[2] s. v. שִׁנְעָר, Leipzig 1922) terram Šinʿâr cum Šumêr aequandam esse iudicant. Falso igitur A. Jirku (Altorientalischer Kommentar zum Alten Testament 40. n. 19) hodie neminem iam sententiam eorum, qui Šinʿâr cum Šumêr aequandam esse putant, defendere dicit.

* Biblica II, 1921, 71—74; VIII, 1927, 353 s.

** Ur-Ninâ auctor cuiusdam domus regnatricis fuisse videtur; nam in inscriptionibus nomina quidem patris et avi memorat, sed ullum titulum iis non assignat.

*** Conferas A. Deimel, Wirtschaftstexte aus Fâra. Leipzig 1924.

† Si nomen Šinʿâr idem valet quod Šumêr, nominibus quoque Šinʿâr et ʿIrâḳ el-ʿArabî eadem fere terra significatur.

II

Auctoritasne Sumeriorum ad librorum veteris testamenti formam (scripturam, linguam, dicendi modum) valuerit

I. Quaerebatur, signane cuneiformia ab Israelitis ad libros veteris testamenti conscribendos adhibita sint. Qui quidem tantum scripturâ quadratâ, in quam ultimis a. Ch. n. saeculis translati sunt,* scripti ad memoriam nostram pervenerunt. Nihilo minus haud pauci viri docti recentioris aetatis saltem antiquissimos veteris testamenti libros initio signis cuneiformibus scriptos fuisse arbitrantur.

Ac primo quidem H. Winckler (Altorientalische Forschungen III, 1., 165—174: Der Gebrauch der Keilschrift bei den Juden. Leipzig 1902) dixit scripturam cuneiformem apud Israelitas usque ad regem Hizkija scripturam religionis et administrationis rei publicae fuisse. Item C. R. Conder (The first Bible. London 1903) contendit primum corpus librorum divinorum litteris cuneiformibus in tabellis (librum Genesis in septuaginta fere) scriptum fuisse et postea a variis scribis in scripturam alphabeticam translatum esse. H. Gressmann (Die Ausgrabungen in Palästina und das Alte Testament 21. Tübingen 1908) arbitratur solam scripturam cuneiformem in terra Canaan ante Israelitarum immigrationem et fortasse etiam postea per complura saecula usitatam fuisse. P. Rießler (Das Alte Testament und die babylonische Keilschrift. ThQ, XCIII, 1911, 493—504) in libris veteris testamenti complura vestigia deprehendi, unde scriptores textibus cuneiformibus usos esse appareat, demonstrare studuit. E. Naville (Archaeology of the OT. Was the OT written in Hebrew? London 1913 = Archéologie de l'AT. L'AT a-t-il été écrit en Hébreu? Paris 1914) haec contendit: Mosen Pentateuchum linguâ Akkadicâ et signis cuneiformibus conscripsisse; prophetas opera sua linguâ et scripturâ Aramaicâ conscripsisse; eam partem Proverbiorum, quae signis cuneiformibus conscripta erat, aetate regis Hizkija in linguam et scripturam Aramaicam translatam esse; Esram Pentateuchum in linguam et scripturam Aramaicam transtulisse; eundem etiam canonem Judaeorum (idque linguâ et scripturâ Aramaicâ utentem) composuisse; Christianâ demum aetate rabbinos libros divinos in linguam Hebraicam transtulisse (i. e. in linguam popularem, quae iam aetate patriarcharum exstabat) atque scripturam quadratam induxisse.** Idem auctor (La découverte de la loi sous le roi Josias. Extrait des mémoires de l'académie des inscriptions et belles-lettres XXXVIII, 2. Paris 1910) contendit Deuteronomium, quod, cum templum a Salomone aedificaretur, in eius lapide primario positum esset, signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ conscriptum fuisse; Mosen eâ scripturâ et linguâ usum esse; quae cum aetate regis Josia iam usitatae non essent, Hilkija summum sacerdotem Deuteronomium in templo renovando anno 621 inventum legere non potuisse;

* De qua re videas S. Grünberg in Jeschurun XV. 1928, 630—646.

** Conferas etiam M. Kyle, A new solution of the Pentateuchal problem (Journal of Biblical literature XXXVI, 1917, 31—47).

Saphan unum id potuisse, propterea quod ut cancellarius regius linguam Akkadicam signis cuneiformibus conscriptam, qua tum viri rerum publicarum periti uterentur, cognovisset; post inventionem demum illum librum in scripturam et linguam Hebraicam conversum conversumque populo recitatum esse. A. Jeremias (Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients[3] 370. Leipzig 1916) affirmat decalogum litteris cuneiformibus Babyloniorum scriptum fuisse; idem Israelitas temporibus quoque prophetae Jesaia eo scribendi genere ut sacro usos esse existimat. Longius J. Benzinger (Hebräische Archäologie[3] 176—178. Leipzig 1927) processit, cum diceret Israelitas usque ad aetatem regis Josia scripturâ Babyloniâ usos esse. Sunt quoque qui dixerint etiam libros posteriorum temporum primo signis cuneiformibus scriptos fuisse. Velut P. Rießler (BZ, IV, 1906, 113—118) multos locos librorum Esrae et Nehemiae indicavit, e quibus eos initio linguâ Akkadicâ conscriptos fuisse appareat.

Pro qua opinione adhuc nulla solida argumenta prolata sunt, nonnulla vero ei prorsus repugnant. Si autem unquam demonstratum erit maiores minoresve partes veteris testamenti initio signis cuneiformibus scriptas fuisse, illud quoque concedendum est Sumerios ad formam saltem antiquissimorum librorum veteris testamenti pertinuisse idque propterea, quod scriptura cuneiformis originis Sumericae est atque ii, qui textum sacrum primi scripserunt, aliquam saltem scientiam linguae Sumericae habuisse existimandi sunt. Re vera quaestio illa, quae fuerit prima forma textus (nonnullarum partium) veteris testamenti nondum soluta est.

Ceterum videas E. König, Die babylonische Schrift und Sprache und die Originalgestalt des althebräischen Schrifttums (ZDMG, LXIV, 1910, 715—732). Das Alte Testament und die babylonische Sprache und Schrift (NkZ, XXIV, 1913, 87—118). Old Testament and Babylonian language (Exp. VIII, Ser. 8, 1914, 97—115). War das Alte Testament zuerst babylonisch geschrieben? (Die Reformation 1917, 2, 14—17). J. A. Kelso, Were the early books of the Old Testament written in cuneiform? (Festschrift E. Sachau gewidmet, 113—124. Berlin 1915). S. Ronzevalle, Langues et écritures en Israel (Recherches de science religieuse VII, 1917, 353—417). J. Haeffele, Vetus testamentum fuitne lingua accadica signisque cuneiformibus conscriptum? (Verbum Domini I, 1921, 340—344).

II. Iidem viri docti, qui maiores minoresve partes veteris testamenti initio signis cuneiformibus scriptos fuisse arbitrantur, auctores eorum linguâ quoque Akkadicâ usos esse putant. Quod si recte se habet, Sumerologiam ad textum veteris testamenti iudicandum vehementer pertinere manifestum est. Sed quamquam adhuc nos in eo permanere oportet omnes partes veteris testamenti non solum litteris Semiticis, sed etiam linguâ Hebraicâ confectas esse, tamen in textu sacro iudicando Sumerologia non est neglegenda. Sumerios ipsos quidem, cum eo tempore, quo antiquissimus liber biblicus

conscribebatur, iam pridem exstincti essent, ad textum sacrum nihil pertinuisse certum est. Quamquam intercedente alia gente Asiae anterioris, imprimis Babyloniis, eorum lingua ad veteris testamenti linguam nonnihil contulisse potest. Numerus vocabulorum Sumericorum in lingua Akkadica magnus est. Iam *P. Leander* 136 vocabula linguae Akkadicae numeravit, quae haud dubie e lingua Sumerica recepta sunt, et 104, quae num originis Sumericae sint, non constat.[1] Is numerus hodie multo augeri potest. E lingua Akkadica postea vocabula Sumerica in alias linguas transierunt. Nam cum cultus humanus Babyloniorum apud incolas omnium terrarum ad mare mediterraneum sitarum multum valeret, in linguis earum gentium multa vocabula e lingua Akkadica recepta invenimus, quorum haud pauca originis Sumericae sunt.[2] Respiciendum autem est plurima vocabula Akkadica in alias linguas orientis antiqui recepta tantum res externas significare, numerum vocabulorum res, quae mente animoque percipiuntur, significantium haud magnum esse; unde apparet incolas Asiae anterioris, quamvis Babyloniorum auctoritas apud eos multum valuerit, tamen in iis, quae ad mentem animumque pertinent, aliquantum soluti ac liberi sibi servasse. Quaerenti autem, quo tempore vocabula Akkadica in alias linguas orientis antiqui recepta sint, unum hoc responderi potest magnam eorum partem iam eo tempore receptam esse, quo aut nulla aut non ampla litterarum monumenta illarum linguarum exstant. Quo fit, ut plerumque nisi coniecturâ colligi non possit, quo tempore aliquod vocabulum Akkadicum receptum sit.

[1] Über die sumerischen Fremdwörter im Assyrischen. Upsala 1903. Conferas etiam S t. L a n g d o n, Sumerian loanwords in Babylonian. Babyloniaca tom. II. Paris 1908.

[2] H. Z i m m e r n, Akkadische Fremdwörter als Beweis für babylonischen Kultureinfluß.[2] Leipzig 1917. — In linguam quoque Aegyptiam multa vocabula Sumerica recepta sunt, v. c. *bd-t* = ador (*Triticum Spelta* L.), Sum. *bad* = hordeum; *gw'* = bos, vacca, Sum. *gur*, *gud*, *gu*; *grḫ* = nox, Sum. *dirig* (ex *girig*) = obscurus; *jnr* = lapis, Sum. *nar* = tabula lapidea; *jr* = facere, Sum. *gar*; *rm* = lacrimare, Sum. *lim* = lacrima etc. Imprimis autem ea vocabula non neglegenda sunt, quae, quamquam complura significant, tamen in utraque lingua cum compluribus significationibus inveniuntur, v. c. *mḫ* = corona, septentriones, Sum. *mir* = corona, septentriones; *ḫm* = femina, recedere, Sum. *gin* = serva, redire; *wn* = accelerare, *wn* et *wnm* = edere, Sum. *gur* = accelerare, *gur* = edere, *gurum* = cibus etc. (F. H o m m e l, Ethnologie und Geographie des Alten Orients 109).

Cum Babylonii ex antiquissimis temporibus apud incolas quoque terrae Canaan multa valerent, mirum non est, quod etiam in

vetere testamento multa vocabula inveniuntur, quorum haud pauca originis Sumericae esse vel certum vel verisimile est.

S. Landersdorfer in libro, qui inscribitur „Sumerisches Sprachgut im Alten Testament", omnia illa vocabula Hebraica et Aramaica veteris testamenti, quae originis Sumericae esse dicuntur, composuit in eaque inquisivit. Ea vocabula in tria genera dividit: vocabula externa non mutata, vocabula externa linguae Hebraicae (Aramaicae) assimulata, radices receptas. Ac primi quidem generis sunt ea vocabula recepta, quae, cum eorum formae linguae novae accommodatae non sint, ab Israelitis pro vocabulis externis habebantur. In quo numero nomina quoque propria ponenda sunt, si non postea demum e vocabulis vel radicibus receptis formata sunt. Secundi autem generis sunt ea vocabula linguae Sumericae, quae, cum eorum formae linguae Hebraicae (Aramaicae) prorsus accommodatae sint, Israelitae iam non vocabula externa esse existimabant. Denique id quoque accidit, ut e vocabulo recepto verbum denominativum formaretur, unde nova nomina (Nominalbildungen) manaverunt. Quae sunt radices receptae.

In numero vocabulorum Sumericorum vetere testamento receptorum sunt complura nomina propria, non modo nomina deorum (Merodach — Marduk, Nêrgal, Sikkût [cognomen dei Ninib], Astarte —Ištar, Tammûz — Adonis, Rimmôn — Rammân, Anamelech, Anath) et personarum (Ariok, Amêl - Marduk = Evil - Merodach, Haran, Lemech, Nimrod, Sanballat, Sanherib, Sinab, Tiglath-Pileser), sed etiam nomina terrarum, gentium, urbium (Assur, Sin'ar, Canaan, Madai = Media et Medus, Magog, Kasdim, Ur, Akkad, Erech, Haran, Kutha, Kalneh, Kir, Ninive, Telassar), nomina fluminum paradisi (Pison, Gichon, Tigris, Euphrates), nomen mensis Kislev. Quae nomina omnia partim haud dubie, partim probabiliter Sumericae sunt originis. Ceterum perdifficile est reperire, quae vocabula in sacris litteris e lingua Sumerica recepta sint. Sed sane aut constat aut verisimile est quinquaginta fere vocabula lexici Hebraici e lingua Sumerica recepta esse. Multorum autem aliorum vocabulorum et radicum vocabulorum (circiter nonaginta) originatio ex variis causis perdubia est. Et eae partes librorum divinorum, quae linguâ Aramaicâ scriptae sunt[1], complura vocabula continent, quae a lingua Sumeriorum manasse non sine causa affirmari potest. Ponere quoque licet linguam Hebraicam praeterea complura voca-

bula continere, quae a lingua Sumerica recepta esse tantum propterea demonstrari non potest, quod eam adhuc non omnino cognovimus. Si igitur intellegentiam etymologicam haud paucorum vocabulorum textus Hebraici veteris testamenti spernere nolumus, Sumerologiam neglegere non debemus.[2]

[1] Antiquissima Aramaica litterarum monumenta in libro Esra (4, 8—6, 18 et 7, 12—26) inveniuntur. Quae papyri Judaeorum in Elephantine-Syene commorantium quinto a. Ch. n. saeculo scriptae et partes libri Daniel Aramaice confectae (2, 4—7, 28) subsequuntur. Praeterea locus Jer 10, 11 et duo vocabula Aramaica, quae loco Gn 31, 47 continentur, commemoranda sunt.

[2] Videas etiam H. Redisch, Sumerisches in der Bibel (Monatsschrift für Geschichte und Wissenschaft des Judentums LIV, 1910, 689—699). J. Theis, Sumerisches im Alten Testament. Trier 1912 (cf. Pastor bonus XXIII, 1910—11, 75—86. 138—143).

III. Ad dicendi modum librorum veteris testamenti Sumerios ipsos non pertinuisse manifestum est. Quamquam exstant complures similitudines in dicendi modo librorum divinorum et textuum Sumericorum, qui ad aetatem nostram servati sunt. Velut verba Gn 11, 4: „Aedificemus nobis urbem et turrim et caput (fastigium) eius in caelum (ad caelum usque pertingat)" cum Sumericis „*kiange gu anšu mudazig*" (i. e. cacumina Kian usque ad caelum excitavit) comparari possunt; verba Ps 61, 7: „Dies adicias diebus regis" cum verbis principis Sumerici Lugal-zaggisi „*namtilum namtil gabadagʿi*" (i. e. addat vitae meae vitam); verba Sumerica „*guzani mugin*" (i. e. solium suum erexit) cum verbis Ps 89, 37s.: „Thronus eius . . . firmus erit perpetuo" et Ps 93, 2: „Firmum stat solium tuum"; verba Jes 12, 3: „Haurietis aquas cum gaudio e fontibus salutis" cum verbis Sumericis „*agʿulla mudaê*" i. e. (aquis gaudii [terram] irrigavit). Quae dicendi similitudines utrum fortuitae an in paribus opinionibus scriptorum positae sint an re vera litterarum monumenta Sumeriorum et Israelitarum intercedentibus litterarum monumentis Akkadicis quodam modo inter se cohaereant, diiudicari non potest. Idem cadit in similitudines orationis poeticae. Unum hoc dicere possumus ad dicendi modum eorum textuum Sumericorum, qui ad memoriam nostram pervenerunt, opiniones sacerdotum et virorum doctorum, qui linguâ Sumericâ utebantur, vehementer pertinuisse.

Conferas S. Landersdorfer, Die sumerische Frage und die Bibel 23s. — H. Zimmern in libro, qui inscriptus est „Babylonische Bußpsalmen" (AB, VI. Leipzig 1885), multas dicendi modi similitudines librorum divinorum

et psalmorum paenitentialium Babyloniorum collegit. Cum autem plane dicat illos psalmos originis Semiticae esse posse (p. 1), eae similitudines parum ponderis habent.

III

Quae rationes Sumericis de primordiis generis humani narrationibus cum vetere testamento intercedant

I. In ruinis urbium Nippur (Niffer sive Nuffar) et Assur (*Ḳal'at Schergât*)* narrationes Sumericae ad antiquissima generis humani tempora pertinentes (de origine mundi, de lapsu primorum hominum, de diluvio) inventae sunt.

Uno maiore fragmento (Nipp. 10673) et duobus minoribus fragmentis (quae numero Nipp. 10562 significata sunt) tertia fere pars tabulae, cuius magnitudo 17.8×14.3 cm fuit, componitur. Quae tabula aetate Kassitarum inscripta est. Neque vero opus est demonstrari carmen ipsum multo antiquius esse posse. Textum edidit A. Poebel in Publications of the Babylonian section of the university museum of Pennsylvania, vol. IV, nr. 1: Historical texts (Philadelphia 1914) cf. vol. V, pl. I, LXXXVI, LXXXVII.

Textus Nipp. 4561 e tribus fragmentis constat, quibus compositis tabula, cuius magnitudo 19.7×13.6×3 cm est, efficitur. Pars adversa et pars aversa ternas columnas, quarum textus multifariam corruptus est, continent. Tabulae Nipp. 4561 et 10673 (unâ cum 10562) carmina de creatione, de lapsu primorum hominum, de diluvio continent. Multis rebus et inter se et a posterioribus narrationibus Akkadicis differunt. Textum tabulae 4561 edidit S. Langdon ib. vol. X, nr. 1: Sumerian epic of paradise, the flood and the fall of man (Philadelphia 1915) cf. pl. I, II, V, VI. — Tabula Nipp. 4611, quae reliquias maioris carminis epici, quo de diluvio et fortasse de lapsu quoque primorum hominum agebatur, continet, 7×5.1×2.5 cm est. Vix erramus, cum eam eodem fere tempore quo ceteros textus Nippur ortam esse existimemus. Textum edidit St. Langdon ib. vol. X, nr. 1 (appendix) cf. pl. IVA. — Tabula VAT 9307, quae in partibus adversa et aversa ternas columnas continet, 15.5×12.1 cm est. Eodem tempore quo textus Nippur orta esse videtur. Textus ita bilinguis est, ut conversio Akkadica non sub textu Sumerico, sed iuxta eum posita sit. Columna Sumerica tota, Akkadica ex parte servata est. Prima columna huius tabulae obscuram compositionem signorum cuneiformium continet. Constat autem eam ad narrationem non pertinere. Cum e textibus Nippur de creatione hominis nihil certi cognoscamus, in textu illo bilingui narratur deos consultatione habitâ deum Lamga mactasse eiusque ex sanguine, quem cum argilla miscuisse videntur, hominem finxisse. Quem textum a Germanis in ruinis urbis Assur inventum edidit E. Ebeling in „Keilschrifttexte aus Assur religiösen Inhalts", Heft 1, nr. 4 (28. Wissenschaftliche Veröffentlichung der Deutschen Orient-Gesellschaft) Leipzig 1915.

Textus bilinguis de creatione universitatis rerum KB, VI, 1, 38—42 (cf. O. Weber, Die Literatur der Babylonier und Assyrer 56—58. Leipzig 1907) propterea hîc neglegendus est, quod unâ cum conversione Sumerica aetatis Neobabyloniae est.

* E. Unger, Das Stadtbild von Assur (AO, XXVII, 3) Leipzig 1929.

Quaeritur igitur, quae ratio his textibus Sumericis cum narrationibus Akkadicis ad antiquissima generis humani tempora pertinentibus, quarum maiores et minores reliquias habemus, intercedat. De qua re dicenda sunt haec: Cum cultus humanus Babyloniorum magnam partem ad Sumerios referendus sit, exspectandum erat, ut Babyloniorum quoque de primordiis generis humani opiniones ad Sumerios referendae et textus Akkadici, quibus eae describuntur, saltem ex parte conversiones textuum Sumericorum essent. Quod vel ex nominibus plerumque Sumericis eorum hominum, qui in narrationibus Akkadicis commemorantur, nec non inde, quod sedes earum narrationum Babylonia meridiana, quam Sumerii incolebant, erat, colligi poterat. Semitas vero, qui procedente tempore Babyloniam occupaverunt, Sumeriorum de procreatione universitatis rerum, de lapsu primorum hominum, de diluvio opiniones re vera cognovisse non ante demonstrari poterat, quam narrationes Sumericae ad primordia generis humani pertinentes inventae sunt. Nam quamquam contendi non potest narrationes Sumericas exempla narrationum Akkadicarum fuisse, tamen verisimile est Babylonios Semiticos narrationes de primordiis generis humani ita litteris mandavisse, ut narrationes Sumericas imitarentur. Neque tamen demonstrari potest textus Sumericos pro „traditione Nippur", textus Akkadicos pro „traditione Eridu" habendos esse, id quod nonnulli dixerunt.

Ad hoc quaeritur, utrum narrationes biblicae de creatione mundi, de lapsu primorum hominum, de diluvio aliquo modo cum illis textibus Sumericis cohaereant necne. Atque illud quidem constat narrationes Sumericas narrationibus biblicis magis congruere quam narrationes Akkadicas; sed inter utrasque rursus tales dissimilitudines exstant, ut fieri non possit, ut narrationes biblicae ex Sumericis manaverint.[1] Cunctae illae narrationes ad traditionem primam omnium hominum communem, quae in narrationibus veteris testamenti purissime conservata est, referendae sunt. Ceterum eorum opinio, qui maiores Abraham traditionem illam primam a Sumeriis accepisse dicunt, priusquam additamentis mythologicis depravata sit, verisimilis esse existimanda est. Nam si nomina Adam, Eva, Abel, Seth originis Sumericae sunt,[2] saltem pars narrationum biblicarum, quae ad antiquissima generis humani tempora pertinent, originis Sumericae sit necesse est, quippe cum nomina non per mil-

lennia retineantur, quin saltem pars narrationum antiquissimo tempore cum iisdem nominibus coniunctarum conservetur.[3]

[1] A. Šanda (Moses und der Pentateuch 406) iure dicit, quicunque narrationes Sumericas ad antiquissima generis humani tempora pertinentes legerit, haud dubie perspicere narrationes biblicas ab iis pendere non posse.

[2] A. Šanda in ZkTh, XXVI, 1902, 194—196: *'âdâm* = Sum. *ada-mu* i. e. pater meus; *ḥavvâ* = Sum. *ama* i. e. mater; *haebel* = Sum. *ibila* i. e. filius; *šêt* = Sum. *šeš* i. e. frater.

[3] H. Radau (The creation story of Genesis 1. A Sumerian theogony and cosmogony. Chicago 1902) narratione biblicâ de creatione universitatis rerum, quae Gn c. 1 continetur, cum Sumeriorum theogoniâ et cosmogoniâ comparatâ sibi effecisse videtur scriptorem biblicum narrationem Sumericam ut exemplar sibi proposuisse. At quamquam illas narrationes de iis rebus, quae H. Radau attulit, inter se congruere probamus, tamen concedere non possumus scriptorem biblicum (etiamsi eum post exsilium Babylonium fuisse ponimus) eo ingenio fuisse, ut narrationem Sumericam, quae multas res mythologicas continet, in narrationem Gn c. 1 mutaret.

Ceterum conferas A. Schollmeyer, Sumerische Mythen von Sintflut und Sündenfall (Theologie und Glaube VII, 1915, 845—849). S. Landersdorfer, Die sumerischen Parallelen zur biblischen Urgeschichte (Alttestamentliche Abhandlungen VII, 5) Münster i. W. 1917. M. Witzel, Die angebliche sumerische Erzählung von Paradies, Sintflut und Sündenfall (Keilinschriftliche Studien I, 51—95. Leipzig 1918). Angebliche sumerische Parallelen zur biblischen Urgeschichte (ThQ, C, 1919, 199—224). G. Hilion, Le déluge dans la Bible et les inscriptions akkadiennes et sumériennes. Paris 1925.

II. Abhinc paucos annos decem reges, qui ante diluvium in Babylonia regnavisse dicuntur, nobis tantum per Berosum* noti fuerunt. Duobus autem textibus cuneiformibus, quas *H. Weld-Blundell* museo Ashmolean Oxoniae donavit et *St. Langdon* edidit, nomina Sumerica illorum regum cognovimus.

Effossionibus loco urbis Kiš (hodie Oḥaimir) factis multae tabulae signis cuneiformibus conscriptae inventae sunt, quarum aliae novas litteras regis Ḫammurapi ad magistratus urbis Larsa missas, aliae nova documenta de prima Sumeriorum historia et quaedam carmina epica continent. Una ex illis tabulis (Ashmolean Museum, W.-B. 62) nomina Sumerica decem primorum Babyloniae regum exhibet. Cuius tabulae aetas ex rationibus palaeographicis exeunti tertio a. Ch. n. millennio attribuenda esse videtur. Nominum 1—7 tantum reliquiae exstant, ut ea non certe scire possimus.

1. (*A*)-*lulim*, regnavit 18 Sar 4 Ner = 67200 annos
2. (*A*)-*lá*(*l*)-*gar*, regnavit 20 Sar = 72000 annos
   2 reges *Šubaru*

* Videas Euseb. Chron. lib. prior p. 7ss. Edidit A. Schoene, Berolini 1875.

3. ( )-*ki-du-un-nu*, *ša-kin-kin*, regnavit 20 Sar
   = 72000 annos
4. ( )-*uk*(?)-*ku*(?), regnavit 6 Sar = 21600 annos
   2 reges *Larsa*
5. (deus *Dumu*)-*zi*, pastor, regnavit 8 Sar = 28800 annos
6. (*En-me*)-*en-lù-an-na*, regnavit 6 Sar = 21600 annos
   2 reges *Bad-tibira*
7. (*E*)*n-sib-zi-an-na*, regnavit 10 Sar = 36000 annos
   1 rex *Larak*
8. *En-me-dur-an-na*, regnavit 20 Sar = 72000 annos
   1 rex *Sippar*
9. *Šuruppak* (?), filius *Ubur-tu-tu*, regnavit 8 Sar = 28800 annos
10. *Zi-u*(*d*)*-sud-du*, filius *Šuruppak* (?), regnavit 10 Sar = 36000 annos
    2 reges *Šuruppak*
    Reges ante diluvium

Alius textus Sumericus, qui exeunte tertio vel ineunte secundo a. Ch. n. millennio ortus est (Ashmolean Museum, W.-B. 444), de regibus, qui ante diluvium fuerunt, haec continet:

Quo tempore regnum de caelo venit, in Eridu regnum fuit
1. In *Eridu* fuit *A-lu-lim* rex, 8 Sar = 28800 annos regnavit,
2. *A-lá*(*l*)*-gar* regnavit 10 Sar = 36000 annos;
   2 reges, 18 Sar = 64800 annos regnaverunt.
   Eridu victa est, regnum ad Bad-tibira transiit.
3. In *Bad-tibira* regnavit *En-me-en-lù-an-na* 12 Sar = 43200 annos,
4. *En-me-en-gal-an-na* regnavit 8 Sar = 28800 annos,
5. Deus *Dumu-zi*, pastor, regnavit 10 Sar = 36000 annos;
   3 reges, 30 Sar = 108000 annos regnaverunt.
   Bad-tibira victa est, regnum ad Larak transiit
6. In *Larak* regnavit *En-sib-zi-an-na* 8 Sar = 28800 annos;
   1 rex, 8 Sar = 28800 annos regnavit.
   Larak victa est, regnum ad Sippar transiit.
7. In *Sippar* fuit *En-me-en-dúr-an-na* rex, 5 Sar 5 Ner = 21000 annos regnavit;
   1 rex, 5 Sar 5 Ner = 21000 annos regnavit
   Sippar victa est, regnum ad Šuruppak transiit
8. In *Šuruppak* fuit *Ubur-du-du* rex, 5 Sar 1 Ner = 18600 annos regnavit;
   1 rex, 5 Sar 1 Ner = 18600 annos regnavit.
   5 urbes,
   8 reges, 1 magnum Sar (= 67 Sar) = 241200 annos regnaverunt.

Nomina Graeca illorum regum a Beroso, sacerdote Babylonio, memoriae tradita illa quidem corrupta sunt, sed indicibus signis cuneiformibus conscriptis ex parte corrigi possunt. Nomina regum sunt haec:

1. *Ἀλωρος* . . . . . 10 Sar (= 36000)
2. *Ἀλαπαρος*, corr. *Ἀλαγαρος*(?) . . . . 3 Sar (= 10800)
3. *Ἀμηλων* (*Ἀμλλαρος*, Almelon) . . . 13 Sar (= 46800)
4. *Ἀμμενων* . . . . . 12 Sar (= 43200)
5. *Μεγαλαρος*, *Μεγαλανος*, Amegalarus; corr.
   Ἀμεγαλανος . . . . . 18 Sar (= 64800)

6. Δαωνος, Δαως; corr. Δαωζος (?) . . . 10 Sar (= 36000)
7. Εὐεδωραχος, Εὐεδωρεσχος, Eudoranchus; corr. Εὐεδωραγχος . . . . . 18 Sar (= 64800)
8. Ἀμεμψινος . . . . . 10 Sar (= 36000)
9. Ὠτιαρτης; corr. Ὠπαρτης (Ἀρδατης) . . 8 Sar (= 28800)
10. Ξισουθρος. Σισουθρος, Σισιθρος; corr. Ζισουθρος (?) 18 Sar (= 64800)

Aloros et *Alagaros* secundum Berosum Babylone regnaverunt; *Alulim* et *Alagar* secundum W.-B. 444 in urbe Eridu. — *Amelon*, *Ammenon*, *Amegalanos*, *Daozos* secundum Berosum in urbe Pautibira regnaverunt; secundum W.-B. 62 quintus et sextus rex (*Dumuzi* et *Enmenluanna*) in urbe Bad-tibira = Pautibiblon (Pautibibla), secundum W.-B. 444 tertius, quartus, quintus rex (*Enmenluanna*, *Enmengalanna*, *Dumuzi*) in urbe Bad-tibira regnaverunt. — Secundum W.-B. 62 octavus rex (*Enmeduranna*) in urbe Sippar regnavit; secundum W.-B. 444 septimus rex (*Enmenduranna*), item secundum Berosum septimus rex (*Evedoranchos*) ibi regnavit. — Octavus, nonus, decimus rex Berosi (*Amempsinos*, *Opartes*, *Xisuthros*) in urbe Larancha regnaverunt; secundum W.-B. 62 solus septimus rex (*Ensibzianna*), secundum W.-B. 444 solus sextus rex (*Ensibzianna*) in urbe Larak regnavit. — Secundum W.-B. 62 nonus et decimus rex (*Šuruppak* et *Ziu(d)suddu*), item secundum Berosum nonus et decimus rex (*Opartes* et *Xisuthros*), secundum W.-B. 444 octavus rex (*Uburdudu*) in Šuruppak regnaverunt. Memoratu dignum id quoque est *Daozos* apud Berosum item clare „pastorem" appellari ac *Dumuzi* apud W.-B. 62 et 444.

Gn c. 5 decem posteros Adam generis Seth usque ad diluvium enumerat. Ex unaquaque earum generationum is solus, qui ad genus usque ad Noah propagandum pertinet, nominatur. Nomina decem patriarcharum sunt haec:

1.	Adam	vixit 930 annos
2.	Seth	vixit 912 annos
3.	Enos	vixit 905 annos
4.	Kenan	vixit 910 annos
5.	Mahalalel	vixit 895 annos
6.	Jered	vixit 962 annos
7.	Hanoch visus est	365 annos
8.	Methuselah	vixit 969 annos
9.	Lemech	vixit 777 annos
10.	Noah	vixit 950 annos

Gn c. 4 septem posteros Adam generis Kain usque ad diluvium enumerat: Adam, Kain, Hanoch, Irad, Mehujael, Methusael, Lemech. Nonnulli suspicati sunt duas illas generationes biblicas ex una manasse, sed ex quibusdam causis duplicem formam accepisse. Id diligentius exquirere hîc supersedere possumus.

Quodsi indicem biblicum Gn c. 5 cum indice Sumerico W.-B. 62 comparamus, inter eos quasdam similitudines invenimus: decem viri numerantur (id quod non mireris, quod mos indices termino numeri denarii circumscribendi apud omnes fere gentes antiquas reperitur); unicuique diuturna vita tribuitur; indicibus totum tempus diluvium antecedens expletur. Sed apparent magnae quoque dissimilitudines: nomina sunt diversa; patriarchae auctores generis humani, viri illi Babylonii reges unius populi fuerunt; in indice biblico vitae anni, in indice Sumerico regiminis anni numerantur; numeri biblici illi quidem magni sunt, sed Sumerici prorsus nullam fidem merentur; decem reges Babylonii secundum W.-B. 62 $126\,^{2}/_{3}$ Sar (secundum Berosum 120 Sar) regnaverunt, cum secundum numerationem biblicam patriarcharum usque ad diluvium tempus, si textum Hebraicum respicias, 1656, si textum Samaritanum, 1307, si textum LXX interpretum, 2242 annorum fuerit; in indice biblico omnes numeri diversi sunt, in Sumerico regi secundo, tertio, octavo 72.000, regi septimo et decimo 36.000 anni assignantur; ex indice biblico septimus patriarcha post 365 annos non amplius in terra apparuit, cum ad deum sublatus sit, ex indice Sumerico septimus rex 36.000 annos regnavit.

Sunt qui nomen *Aloros* i. e. primi regis apud Berosum nomini *Arûru* respondere existimaverint, quae dea in carmine epico Gilgameš homines ex luto finxisse dicitur. At intellegi non potest, quî e dea *Arûru* primus rex Babylonius exstiterit.

Nonnulli nomen *Alaparos* i. e. secundi regis in indice Berosi nomini *Adapa* aequaverunt et litteras Graecas Δ et Λ inter se similes permutatas esse putaverunt. Nomen Adapa rursus cum nomine Adam aequatum est. At mythus de Adapa a narratione biblica de lapsu Adam adeo discrepat, ut illa aequatio fieri non possit. Loco nominis Alaparos in utroque textu Sumerico *Á-lá(l)-gar* scriptum legitur. Inde fieri potuit, ut in textu Graeco Berosi litteris Graecis Γ et Π permutatis nomen Alapar exsisteret. Si autem Alapar = *Ala(l)gar* est, Adapa non est Adam.

Tertius rex apud W.-B. 62 ( )-*ki-du-un-nu*, *ša-kin-kin* appellatur. *Kin-kin* sono similis est nomini biblico *Kenan* = opifex (Aram. *kainâjâ* = ferrarius).

Nomen sexti patriarchae biblici *Jered* „descensum" valet. Quem nonnulli cum quinto rege Babylonio *Dumu-zi sib* = Tamuz pastore (Daonos, corr. Daozos apud Berosum), qui in mytho ad inferos descendit, aequant.

E nomine septimo textus W.-B. 62 *(E)n-sib-zi-an-na* Amempsinos (nomen octavi regis apud Berosum) manasse potest. *Sib-zi-an-na* Babylonii Orionem nominabant, quem fortasse, ut Graeci, militem ad caelum transpositum esse putabant. At septimus rex textus Sumerici non simpliciter *sib-zi-an-na* nominatur,

quoniam in eius initio signum positum est, quod quid valeat, non liquet; eo autem vim nominis mutari verisimile est. At respiciendum est nomen octavi patriarchae biblici Methusalah verbis „vir teli" reddi posse.

Nomen octavi regis textus W.-B. 62, *En-me-dur-an-na*, in aliis fontibus Babyloniis *Enmeduranki* (apud Berosum Evedorachos, corr. Evedoranchos) est. Qui cum revelationes divinas accepisse dicatur, cum *Hanoch* comparatus est, „qui ambulavit cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus" (Gn 5, 24). Nomen *Hanoch* compendium nominis *Enmeduranki* esse potest; nam Hanoch similiter fere sonat atque *anki*.

Certe necesse non est ea, quae in vetere testamento de decem patriarchis memoriae produntur, a fabulis Babyloniorum manasse. Si enim index biblicus ad duos indices Sumericos referendus est, commutatio nominum intellegi non posset. Neque scriptori biblico causa erat, cur reges Babylonios auctores generis humani faceret. Multo igitur verisimilius est a Babyloniis illustres viros primorum temporum reges populi sui factos iisque ostentationis causâ incredibiles numeros annorum regni attributos esse. Indicem biblicum cum indicibus Sumericis cohaerere demonstrari non potest neque necesse est id per se ponatur, ut nonnulli falso putant.

Conferas S t. L a n g d o n, The Chaldean kings before the flood (JRAS, April 1923, 251—259;) Historical inscriptions cont. principally the chronological prism (= The Weld-Blundell collection, vol. II = Oxford edition of cuneiform texts, vol. II) Oxford 1923. P. E. B u r r o w s, Notes on the antediluvian kings (Orientalia VII, 1923, 50—59). H. Z i m m e r n, Die altbabylonischen vor- (und nach-) sintflutlichen Könige nach neuen Quellen (ZDMG, N. F. III, 1924, 19—35). P. D h o r m e, L'aurore de l'histoire babylonienne (RB XXXIII, 1924, 534—556). A. D e i m e l, De decem Babyloniorum regibus ante diluvium regnantibus (Verbum Domini III, 1923, 215—217). De catalogo antiquissimorum regum Babyloniae nuperrime effosso (ib. IV, 1924, 218—222). Die babylonische und biblische Überlieferung bezüglich der vorsintflutlichen Urväter (Orientalia XVII, 1925, 33—47). G. A. B a r t o n, Archaeology and the Bible[4] (Philadelphia 1925), 289—298: The patriarchs before the flood. Babylonian long-lived kings. Comparison with Genesis 5 et 4. F. V i g o u r o u x, Dictionnaire de la Bible. Supplément I (Paris 1928) 745—752: Les patriarches antédiluviens.

IV

In religione revelata invenianturne nonnulla, quae a Sumeriis recepta sint

Quaesitum est, exstentne in religione revelata veteris testamenti nonnulla, quae ab antiquissimis Babyloniae incolis i. e. Sumeriis recepta sint. In qua re non de ingenio religionis revelatae,

quod a religionibus ethnicis, quae ante eam et post erant, prorsus abhorret, sed tantum de rebus externis, de formis cultus aliisque rebus eius modi, cogitandum est, quoniam religionem revelatam ritus, qui iam exstabant, in usus suos convertisse constat.

Sumerii ipsi quidem, cum eo tempore, quo antiquissimus liber biblicus conscriptus est, iam pridem exstincti essent, ad Israelitarum religionem nihil conferre potuerunt. Sed intercedente alia gente Asiae anterioris, imprimis Babyloniis originis Semiticae sive Akkadiis, Sumeriorum formae cultus ad religionem revelatam nonnihil contulisse possunt. Babyloniorum quidem religionem novimus atque saepe et diligentissime inquisitum est, quae ei ratio cum religione veteris testamenti intercederet . Praeterea scimus eas gentes Semiticas, quae procedente tempore Babyloniam occupaverunt, cultum atque humanitatem Sumeriorum recepisse, ut non modo verisimile sit, sed etiam effossionibus confirmetur maiorem partem religionis Babyloniorum (et deorum et mythorum cultusque deorum) non originis Semiticae esse, sed ad Sumerios pertinere. Cum autem in religione Babyloniorum partes Sumericae a Semiticis adhuc separari non possint, ne illud quidem demonstrari potest, quae ratio religioni Sumeriorum cum religione revelata veteris testamenti intercedat.*

I. Cum in sacris litteris vocabula e lingua Sumerica recepta inveniantur, quae res ad religionem pertinentes significant, exspectes, ut ea vocabula ad quaestionem, Jahvaene in religione res a Sumeriis receptae commemorentur, solvendam aliquid conferant. At neque numerus eorum vocabulorum magnus est et omnia fere ad instituta religionis gentilium aut „religionis popularis" Israelitarum, quae cum gentilium opinionibus mixta est, pertinent. Tantum duo vocabula in lingua Sumerica et in lingua biblica tales res cultus significant, quae in religione quoque revelata magni sunt momenti: *kerûb*, Sumerice *kirub* (= Cherub) et *pârôket*, Sumerice *barag* (= deorum cella). Quae vocabula e lingua Sumerica recepta esse etsi non constat, tamen propterea verisimile est, quod in lingua quoque Akkadica inveniuntur (*kuribu*, *parakku*) atque ex ea in linguam Hebraicam transisse possunt.

---

* H. Zimmern in KAT 349. C. Bezold - C. Frank, Ninive und Babylon[4] (Bielefeld-Leipzig 1926) 147.

M. Kmoskó (BZ, XI, 1913, 225—234) vocabulum *kerûbîm* cum nomine *kuribê*, quo in inscriptione quadam regis Asarhaddon in Assur inventa genii significantur, qui (ut ii, qui *sêdê*, *lamḫê*, *lamassê* appellantur) introitum templorum et domorum regiarum ornavisse videntur, coniungit; vocabulum autem *kurib* originis Sumericae esse (*ku+rib* = splendidus staturâ) dicit.

Num vocabulum *pârôket* cum Akkadico *parakku* (Syr. *perakká*) = Sum. *barag* cohaereat (Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar 66), ex nonnullorum opinione dubium est, quoniam H. Zimmern, quod in KAT 592 et 650 de ea re coniecit, id in libro, qui inscriptus est „Akkadische Fremdwörter als Beweis für babylonischen Kultureinfluß", silentio revocavit.

Vocabulum in religione revelata usitatum *še'ôl* non ab Akkadico *šu'âlu* ducendum (KAT 636. n. 4), fortasse autem ad Sumericum *ki-gal* (proprie: locus magnus) referendum est (St. Langdon, A Sumerian grammar and chrestomathy 41); a lingua Sumerica id vocabulum in linguam Akkadicam (*kigallu* = orcus) transiit. Ceterum videas J. Hehn in BZ, XIV, 1917, 23s.

Vocabula *hêkâl* et *'ârôn* certe sunt originis Sumericae; sed vocabula Sumerica, quae iis respondent, non ad res cultus significandas usurpantur. Atque *hêkâl* ex lingua Akkadica receptum est: *êkallu*, quod vocabulum e Sumerico *ê-gal* (= domus magna) repetendum est (Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar 29). Item *'ârôn* ex lingua Akkadica receptum est: *arânu* (*erênu*), cui vocabulo Sumericum *uru* (= tueri) subest (ib. 51). Fortasse *urunu* (= templum, turris templi) quoque cum eo vocabulo cohaeret (ib. 52).

Vocabulum *'aggân* (= labrum) cum Akkadico *agan(n)u* cohaeret, quod fortasse originis Sumericae est, quia et radix Semitica deest et vas cultus eo significatur, quod a primis Babyloniae incolis facile receptum esse potest. Lexicon Sumericum quamquam nullum vocabulum continet, unde Akkadicum *agan(n)u* ducatur, tamen verisimile est vel compositionem cum *a* (= aqua, Frd. Delitzsch, Sumerisches Glossar 1) vel radicem *gan* agnoscendam esse, quae quid valeat, incertum est.

Vocabulum *pûr*, unde festum Purim nomen traxit (Esth 9, 31), ex lingua Akkadica receptum est: *bûru* sive *pûru* (= vas, patera), quod vocabulum originis Sumericae est, quoniam haud dubie ad Sumericum *bur* (= vas) referendum est.

II. Neque deorum nomina Sumerica, quae in vetere testamento inveniuntur (Marduk, Sin, Ištar-Astarte, Nêrgal, Rimmôn, Sikkût, Tammûz), in religione Israelitarum ullius sunt momenti, ne in „religione populari" quidem, exceptâ Ištar-Astarte, cuius cultus sane late divulgatus erat. Commemoratione quoque Tammûz Ez 8, 14 significari videtur eum deum Sumericum, qui totâ Asiâ anteriore (apud Graecos sub nomine Adonidis) colebatur, etiam apud Judaeos cultores habuisse. Ceterum nonnulli eorum deorum, quamquam nomina Sumerica gerunt, tamen ne in eorum quidem deorum numero sunt, quos Sumerii ipsi colebant, sed postea demum a Babyloniis colebantur. Si autem cogites familiam Abraham, auctoris gentis Israelitarum, olim in urbe Sumerica Ur habitavisse ideoque religio Sumerica fortasse per decennia ad primordia religionis revelatae pertinuisse, exspectes, ut in vetere quoque testamento etiam nunc

vestigia eius rei inveniantur. Atque *H. Radau* in libro, qui inscribitur „The creation-story of Genesis 1", demonstrare studet Israelitarum opinionem dei quodam modo eandem esse atque Sumeriorum. Ex 6, 2s. memoriae prodi Jahven patriarchis ut *'El šaddai* apparuisse neque verum suum nomen patefecisse. *Šaddai* autem vel a *šadad* = solidum esse vel a *šâdâh* = altum esse (cf. Akk. *šadû* = mons) duci posse. *'El šaddai* igitur, cum deum duplicis soliditatis i. e. caelestis (firmamenti) et terrestris (terrae) soliditatis significet, deo Sumerico *En-lil* (= Bêl), qui nomen *lugal-kur-kur* = rex duorum montium (terrarum) gerat, respondere, ut patriarchae deum suum ut „deum caeli et terrae" vel ut *lugal-an-ki* = regem caeli et terrae (nam his quoque verbis deum En-lil ornari) cognoverint atque coluerint. Neque Jahven quidquam aliud esse nisi deum En-lil, quoniam *mal'ak jahveh* = angelus Jahvae, qui in sacris litteris saepius munere vicarii et legati Jahvae fungatur, deo Sumerico *Ningirsu*, „heroi" dei En-lil, respondeat. Ningirsu autem, cuius nomen Sumericum nondum cognovimus, ex eius descriptione in „somnio Gudea" facta (Cyl. A. col. 4. lin. 14—20 et col. 5. lin. 13—17. cf. VAB, I, 1. 92 et 94) cum *Rammân*, deo tempestatum et tonitruum, cui et ipsi „angelus Jahvae" respondeat (cf. eius apparitionem in monte dei Ex 19, 16. 18 vel Ps 18, 8—16), aequandum esse. Cum igitur „angelo Jahvae" cum Jahve eadem ratio intercedat ac Ningirsu cum En-lil, Jahven quoque et En-lil aequandos esse.

Contra ea *S. Landersdorfer* (Die sumerische Frage und die Bibel 37) dicit explicationem nominis 'El šaddai atque interpretationem „somnii Gudea" ab H. Radau prolatas minime certas esse. Neque cum adhuc parum notum sit, quae ratio deo Ningirsu cum En-lil intercedat, eam rationem cum ratione, quae „angelo Jahvae" cum Jahve intercedat, comparari neque res tanti momenti ex ea comparatione colligi posse. En-lil quidem filium dei lunae En-zu esse, qui postea Sin vocatus et imprimis in urbe Ur cultus sit, et Ningirsu fratrem dei En-zu. Quare Abraham eos deos Sumericos haud dubie cognovisse, ut religio Sumeriorum ad opinionem dei familiae patriarchae pertinere potuerit, quod tamen nondum demonstratum sit.

V

Legesne Sumeriorum ad veteris testamenti leges pertinuerint

Quod attinet ad leges civiles a Mose nomine Jahvae genti Israeliticae datas, recentiore aetate liber foederis, quo nomine capita Ex 20, 22 (secundum alios 21, 1) —23, 33 significantur, cum codice Ḫammurapi comparatus est atque inter ea corpora magnae similitudines repertae sunt,[1] quae inde explicantur, quod, cum codex Ḫammurapi per complura saecula in Asia anteriore multum valeret, gentes ibi habitantes, in quibus Israelitae quoque numerandi sunt, eum pro iuris norma habebant. Atque quamquam Mosen non e codice Ḫammurapi ipso hausisse constat, quoniam Aegyptiorum, non Babyloniorum doctrinâ eruditus est (Act 7, 22. Philo, De vita Mosis 1, 5. Clem. Alex. Strom. 1, 23. MSG 8, 900), tamen aeque constat Mosen non prorsus novas leges dedisse, sed etiam quod ius iam in familiis patriarcharum ac postea in gente Israelitica in terra Gosen commorante vigebat, id retinuisse, sed ita, ut notionibus religionis Jahvae imbueret atque excoleret. Similiter ne Ḫammurapi quidem omnino novas leges condidit, sed leges, quae iam usitatae erant, collegit. Atque iam ex temporibus historiam antecedentibus tabulae lapideae ad memoriam nostram pervenerunt, quae scripturâ imaginibus expressâ impletae sunt et de praeceptis iuris agere videntur. Similes tabulae eiusdem aetatis in ruinis urbis Šurippak inventae sunt. Ex inscriptionibus ultimorum annorum domus regnatricis Ur-Ninâ apparet commercium tum iam ad certam regulam directum fuisse. Maiores quoque regis Ḫammurapi, imprimis Sumu-la-ilu (2043—2008), ut diligenter et aequabiliter iudicaretur, haud pauca magni momenti sanxerunt. Quae omnia Ḫammurapi collegit collectaque novis praeceptis auxit. Quae cum ita sint, inter fontes codicis Ḫammurapi leges quoque esse existimandae sunt, quae a Sumeriis repetendae sint. Id praeterea ex eo ipso apparet, quod leges Sumericae ad res domesticas et privatas pertinentes („Sumeriorum leges familiae", quae vocantur),[2] quae dubium non est quin codice Ḫammurapi antiquiores sint, ex parte in eo agnoscuntur. Et inventae sunt in ruinis urbis Erech (Warka) reliquiae quaedam legum Sumericarum (in „Yale babylonian collec-

tion" editae,) quas qui leges Ḫammurapi examinat, quasi pro exemplo earum Sumerico habere potest.[3] Quae reliquiae novem paragraphos complectuntur: paragraphi prima et secunda de abortu agunt; paragraphus tertia praecipit, quo modo navis, si perierit, compensetur; in paragraphis quartâ et quintâ adoptio, sextâ et septimâ raptus mulierum tractatur, octavâ et nonâ, quo modo bos conductus, si vel per leonem vel neglegentiâ perierit, compensetur. Quae leges ex parte in „Sumeriorum legibus familiae" iisdem verbis inveniuntur. Si postea aliae quoque collectiones legum Sumericarum effossae erunt, viris doctis, qui in fontibus iuris Israelitici reperiendis versantur, disciplina iuris Sumerici neglegenda non erit.

[1] Conferas v. c. Ex 21, 2 cum CH § 117; 21, 15 cum § 195; 21, 18s. 22. 23 —25. 26s. cum § 20. 209. 196s. 200. 199; 21, 28—32 cum § 250—252; 22, 4 cum § 57; 22, 6—8 cum § 124—126; 22, 9—13 cum § 266s. 244. 263. Aliae quoque leges Mosaicae cum CH congruunt; conferas Lv 20, 14 cum § 157; Lv 21, 9 cum § 110; Dt 19, 15—21 cum § 3 et 4; Dt 21, 15—21 cum § 165—169. Dt 22, 13 —17 cum § 127—130. Ceterum videas A. Stanley Cook, The laws of Moses and the code of Ḫammurabi. London 1903. S. Oettli, Das Gesetz Hammurabis und die Thora Israels. Leipzig 1903. H. Grimme, Das Gesetz Chammurabis und Moses. Köln 1903. D. H. Müller Die Gesetze Hammurabis und ihr Verhältnis zur mosaischen Gesetzgebung sowie zu den XII Tafeln. Wien 1903. F. Mari, Le leggi die Hammurabi e la Bibbia (Studi religiosi IV, 1904, 138—163). P. Cruvelhier, Le code de Hammourabi (Revue du clergé français LXIX, 1912, 275—308); Le code de Hammourabi et la législation civile des Hébreux (ib. 641—673).

[2] Septem „Sumeriorum leges ad familiam pertinentes" (II R 10. V R 24. 25) sunt pars tabulae septimae seriei *ana ittī-šu*. Quae cum haud dubie antiquioris sint aetatis (conferas poenam lege quintâ constitutam), quaerenti, utrum textus Sumericus an Akkadicus prior habendus sit, respondendum est eas initio linguâ Sumericâ conscriptos esse. Conferas P. Haupt, Die sumerischen Familiengesetze in Keilschrift, Transcription und Übersetzung nebst ausführlichem Commentar und zahlreichen Excursen. Leipzig 1879. H. Winckler, Die Gesetze Hammurabis in Umschrift und Übersetzung 84—86. Leipzig 1904.

[3] A. T. Clay, A Sumerian prototype of the Hammurabi code (OLZ, XVII, 1914, 1—3).

VI

Quid Sumerii ad cultum profanum Israelitarum contulerint

Ex vocabulis Sumericis, cum nisi intercedentibus Babyloniis Semiticis in vetus testamentum recepta non sint, accurate reperiri non potest, quantum Sumerii ad cultum profanum Israelitarum contulerint. Plus vero contulisse existimandi sunt quam ut ex vo-

cabulis Sumericis receptis perspicere possimus, propterea quod Israelitae haud dubie multa ex Sumeriorum cultu intercedentibus Babyloniis originis Semiticae ita receperunt, ut vocabula Sumerica earum rerum non reciperent. Ceterum pauca vocabula sacrarum litterarum, quae originis Sumericae esse dicuntur, eius originis esse pro certo affirmari potest et plurimis eorum vocabula quoque linguae Hebraicae respondent.

Maximus est numerus eorum vocabulorum e lingua Sumerica ducendorum, quae res ad agriculturam et pecuariam, ad domum eiusque supellectilem pertinentes significant, quod non mireris, quoniam Sumerii agros colebant. Velut *'ikkâr* fossor, agricola = Akk. *ikkaru* = Sum. *engar* (= *en-gar* i. e. dominus agri); *'âsâm* horreum = Akk. *asammu* = Sum. *asam*, quod vocabulum vas figlinum significat (quantum scimus, frumentum crebro in vasis figlinis conservabatur); *'urvâh* stabulum = Akk. *urû*, quod vocabulum ad Sumericum *ùr* referendum est; *'eškâr* tributum = Akk. *iškaru* = Sum. *ku-gár*, quod probabiliter *êš-gár* legendum est; *dôr* habitatio = Akk. *dûru* (saepes, crates, murus, arx), cf. verbum Sumericum *dúr* = habitare; *gan* (*gannâh*) hortus = Sum. *gán*, quod a Babyloniis vocabulo *eḳlu* (ager) redditur (in linguam Akkadicam id vocabulum duplici forma receptum est: *ginû* = ager et *gannatum* = hortus); *kîr* focus et *kûr* fornax, in qua metalla ex lapidibus aerosis excoquuntur = Akk. *kîru* = Sum. *gir*; *kijôr* pelvis = Akk. *kîru* = Sum. *kir*; *kên* basis = Akk. *kannu* (vas) = Sum. *kan* (?).

Ad maiores colonias hominum significandas vocabulum Sumericum *uru*, pro quo forma quoque *eri* invenitur, in linguam Hebraicam transiit (*'îr*); neque prior pars nominis *jerûšâlaim* quidquam aliud est nisi vocabulum Sumericum *uru* mediocriter mutatum. Vocabulum quoque *bîrâh* (arx, castellum) ex Akkadico *birtu* receptum est, quod vulgo a verbo *barû* (vincire, circumcludere) ducitur, fortasse autem ad Sumericum *bar* referendum est, quoniam viri docti Babylonii Sumericum *bar-bar-ri* vocabulo *birtu* reddiderunt.

Cum Babylonii iam antiquissimis temporibus magnum commercium cum aliis gentibus haberent, complura quoque nomina Akkadica mensurarum, quae Babylonii a Sumeriis receperant, in vetere testamento occurrunt, v. c. *ḳôr* (Aram. *ḳôrâ'*), mensura rerum aridarum et fluidarum, Akk. *gurru* (*kurru*?) = Sum. *gur*; *se'âh* (Aram. *s'âthâ'*), mensura frumenti, Akk. *še'u*, *še'atu* = Sum. *še*; *ḳâv*, funis mensorius triginta cubitorum, Akk. *kû* = Sum. *gû*; *ḳâneh*, arundo (pertica mensoria), Akk. *ḳanû*, quod ad Sumericum *gi*(*n*) referendum est; *kikkâr*, talentum = Akk. *gaggaru* = Sum. *gar-gar*. Vocabulum *mâneh* (mina) haud dubie e lingua Akkadica (*manû*) receptum est. Utrum vocabulum *manû* a Sumerico *mana* repetendum an hoc a lingua Akkadica ducendum sit, adhuc diiudicatum non est. In lingua Sumerica forma quoque correpta *ma* invenitur.

Praeterea complura nomina Hebraica animalium, herbarum, metallorum e lingua Sumerica recepta sunt, v. c. *'arbeh* = Akk. *aribu* (*eribu*, *eribû*), quod vocabulum idem esse videtur atque *ḥarubu* = Sum. *ᶜgarub*; *gâzâm*, species locustae = Akk. *kisimmu* = Sum. *kisim*; *sâs*, tinea = Akk. *sâsu* = Sum. *ziz*; *'âthôn*, asina = Akk. *atânu*, quod ad Sumericum *anšu* referendum est; *gâmâl*, camelus (Sum. *gam-mal*) autem pro vocabulo Semitico in linguam Sumericam recepto habendum est; *'eren*, species cedri = Akk. *erinu* = Sum. *erin*; *te'aššûr*, species cedri (Šerbîn) = Akk. *šurmênu* = Sum. *šur-man*; *kammôn*, cuminum = Akk. *kamûnu* = Sum. *gamun*; *mesukkân*, nomen arboris = Akk. *musukkanu* vel *mis-*

kanu (nomen arboris cuiusdam in Babylonia magni aestimatae) = Sum. *mez-Makan* i. e. arbor (terrae) Makan;* *'anâk*, plumbum = Akk. *anaku* = Sum. *anag*, *nagga*; *barzel*, ferrum = Akk. *parzillu* = Sum. *bar-gal*; *šebô*, achates (?) = Akk. *šûbû* = Sum. *šùb*; *ḥašmal*, electrum = Sum. *ᶜguš+mal* (forma Eme-sal pro *gál*, qua syllaba crebro substantiva formantur), pars autem prior = Akk. *ḫuššu* i. e. solidus (de metallis usurpatum) splendidus. Etiam vocabulum *sêpher*, quod locis Ex 17, 14; Jes 30, 8; Job 19, 23 cuprum significat, e lingua Sumerica receptum est, cum vocabulum Akkadicum *sipparu* (aes cyprium) ad Sumericum *zabar*, quod ex *ud-ka-bar* (pronuntiatur *usu-bar*) exstitit, referendum est.

Nonnulla quoque vocabula geographica Israelitae a Sumeriis accepisse videntur, velut *'âgâm*, palus = Akk. *agammu* (palus, stagnum), quod ad Sumericum *agam* (*a* = aqua+*gam* = submitti) referendum est; *'êd*, aquarum magnitudo = Akk. *edû* = Sum. *a-dê-a* (proprie: qui aquam effundit); *'ephes*, finis = Akk. *apsû*, quod Sumericae originis est = *zu-ab* (domus sapientiae); *têl*, collis = Akk. *tillu* (collis ruderum), quod ad Sumericum *dul* (tegere) referendum est.

Cogitanti texta Babylonia iam antiquissimis temporibus celeberrima fuisse mirum non est, quod nonnulla vocabula veteris testamenti ad artem textrinam pertinentia e lingua Sumerica ducenda sunt, *v.* c. *pelek*, fusus = Akk. *pilakku*, quod nihil aliud esse videtur nisi vocabulum Sumericum exitu *akku* formatum; *kîšôr*, colus, cui vocabulo Sumericum *sur*, *sir*, (nere) subest (utrum *ki* hîc locum valeat an cum *kid* = facere aequandum sit, diiudicari non potest). Vocabulum Sumericum *gada* (linteum) non solum ab Israelitis (*kethôneth*), sed etiam a Graecis (χιτών) et Romanis (*tunica*) receptum est. Vocabulum quoque Akkadicum *kitû* (*kitinnû*) ad Sumericum *gada* referendum est.

Incerta est origo Sumerica nonnullorum vocabulorum, quae ad familiam pertinent: *'âb* et Sum. *ab* = pater; *'êm*, Akk. *ummu*, Sum. *um* = mater; cum vocabulo *'îš* conferas Sum. *uš*, vir (Akk. *ušu*, vis).

Conferas S. Landersdorfer, Sumerisches Sprachgut im Alten Testament 108—110. Die sumerische Frage und die Bibel 38s.

Quin cultus humanus Babyloniorum ut ad alias gentes orientis antiqui, ita ad gentem quoque Israeliticam vehementer pertinuerit, dubium non est. Sed quod discernere non possumus, quid in cultu illo Sumeriis et quid Semitis, qui procedentibus saeculis in Babyloniam immigraverunt, attribuendum sit, ne illud quidem satis perspicere possumus, quid Israelitae Sumeriis et quid Babyloniis Semiticis debeant. Quamquam certe Sumerii intercedentibus Babyloniis apud Israelitas plus valuerunt quam hodie demonstrari potest.

---

* Makan sive Magan (quod nomen et ipsum originis Sumericae est, etsi nondum pro certo explicari potest) Arabiam orientalem ad sinum Persicum sitam esse verisimile est.

Index locorum ex sacris litteris allatorum

Hîc tantum ii loci afferuntur, qui plus minusve explicati sunt

Gn 5 76—78
8, 4 59
9, 20 58
10, 5 13
8—12 15
10 30. 32. 57
25 12.14
32 13
11, 1—9 13—15
2 12. 58
4 71
9 36
31 27
14, 1 59
1. 9 32. 62
9 60
Ex 6, 2s. 81
17, 14 85
20, 22—23, 33 82s.
Jos 7, 21 60
2 Rg 17, 24. 30s. 35. 38
19, 37 59
Jes 10, 9 38
Jes 11, 11 61
12, 3 71
21, 1 12
30, 8 85
37, 38 59
Jer 50, 21 11
51, 13 5
27 58s.
Ez 8, 14 80
Am 6, 2 38
Sach 5, 11 61
Ps 61, 7 71
89, 37s. 71
93, 2 71
137, 2 3
Job 19, 23 85
Esth 9, 31 80
Dn 1, 2 61
4 52
13, 54. 58 3
1 Chr 1, 19 12
Act 7, 2 61

Index nominum et rerum

A

Abu Habba 6. 38
„ Hatab 35
„ Šahrein 30
Adapa 31
ʿAdhêm 6. 28
ʾAhawâʾ 2
Airarat 58
Akkad (terra) 7s. 38 (urbs = Agadê) 8. 17. 26. 37. 57
Akkadii 7. 16. 21
Amraphel 27. 59
Amurru 20. 26
An (Anu) 40
Animalia Babyloniae 4
Annat 40
Anšan 19
Anšar 40
Anûnît 17. 38
Anunnaki 41
Apšu 40
Araḫtu 6
Aram naharajim 62
Aramaica litterarum monumenta 71
ʾArârâṭ 58s.
Araxes 58
Arbores Babyloniae 3s.
Ariok 27. 60
ʾArkewâjê 32
Arma Sumeriorum 19
ʾAškenâz 58
Asnappar 32
Ašratu 20
Aššur (deus, urbs, terra) 21. 40. 72
Aval 18

B

Babbar 20
Bâbel 35. 57
Bachtijâri 12
Baḥrain 18
Baḥrijjât 34
Bantu 53s.
Barsip 36
Bau 34. 40
Bêl 18. 22. 40
Bêl-Marduk 9
Belîḫ 6
Bêlit ṣêri 20
Bêl šadî 20
Bêltu 33
Bibliotheca Assurbanipal 26. 46. 51
Birs Nimrûd 37
Bismâja 35
Bît-Jakin(i) 10
Bornu 53s.
Borsippa 33. 36

C

Canales Babyloniae 5—7
Chaboras 1s.
Chaldaea 8s. 11. 21s. Chaldaei 21
Choaspes 3
Circesium 1s.
Codex Hammurapi cum libro foederis comparatus 82s.
Cultus profanus Sumeriorum 43s.
Cyrus (rex) 30 (flumen) 25

D

Dagan (Dagôn) 20
Damgalnunna 40
Dêlam 37
Dialecti Sumericae 49s.
Dijâlâ 6
Dilbat 37
Dilmun 18. 26
dingir 41. 50
Dispersio gentium 13s.

Drehem 35
ed-Dschezîre 1. 12
Dschumdschuma 36
Dumuzi 40
Dûr-Jâkîn 11

E

Ea 30. 33. 40. 42. 51
E-anna 17. 32
Elaeus 3
Elam 27. Elamitae 27. 46
Ellasar 27. 32
'El šaddai 81
Eme-ku 8. 49s. Eme-sal 49s.
Emutbal 60
En-an 40
En-gur 40
En-ki (Ea) 17. 29s. 33. 40
En-lil (Ellil) 9. 22. 28. 35. 39s. 41. 81
Entemana 44
En-zag 18
En-zu 20. 31. 40
Erech 6. 32s. 57. 82
Eri-Aku 60
Eridu 17. 30. 33
E-sagila 36. 43
Euphrates 4—6
Evil-Merodach 36
E-zida 36. 43

F

Fâra 35
Fertilitas Babyloniae 3
„Flumina Babylonis" 2

G

Gatumdug 29. 40
Georgia 54
Gibil (Girru) 41
Girsu(-ki) 33
Giš-chu 34
Gištin-anna 33
Gudea 26. 29s. 44
Gula 34
Gur 40
Gutaei 27. 46

H

Ḫabiru 24
Habl Ibrâhîm 35
Ḫâbûr 6
Ḫammurapi 27. 52. 59. 82s.
Haran 21. 23
Ḫarsagkalamma 28. 37
Hethaei 47
el-Hibba 34
Ḫillah 36

I, J

Ib 37
Ibi-Sin 27
Igigi 41
Innanna 40
Innina 29
Inundationes Euphratis et Tigridis 4s.
In-zag 18
ʿIrâḳ el-ʿArabî 1. 12
Irim 34
isak, iššaku 28
Ischan ʿAmrân ibn ʿAli 36
Isin 7. 27
Ištar 17. 33. 40
Joktan et Joktanidae 12s.

K

Kadi 41
Ka-dingir-(ra)ki 36
kalam-ma 9
Kalneh 38s. 57
Kalno 38
Kanuri 53
Karduniaš 9s.
Karkemiš 2
Karûn 3
Kaš 10
Kašdu, Kardu, Kaldu 11
Kasr 36
Kassitae (Kaššû) 9s. 12. 27
Kebâr 2
Kerchâ 2s.
Kêšu 28. 38
Ki (Ea) 40
ki-en-gi(n) 9. 57. 65s. ki-en-gi(-ki) 9
ki-en-gi ki-uri 9
Ki-nu-nir (-ki) 33
Ḳîr 25. 33
Kiš 28. 37
Kišar 40
Kisurra 35
Ktesiphon 38
Kudur-Mabuk 60
Kullanî 40

Kussu 10
Kutû 35

L

Lacus Babyloniae 5
Lagaš 33s. 57
Laḫamu, Laḫmu 40
Larak 34
Larsa 27. 32
Lingua Akkadica 21. 46, Sumerica 47—54, linguarum classes 47
Liber foederis cum codice Ḫammurapi comparatus 82s.
Lugal-Marad-da 37
Lugal-zaggisi 26
Lulubaei 27. 46

M

Magan (Makan) 17. 26. 85
mal'ak jahveh 81
Maništusu 26
Marad 37
Mardochai 36
Marratu 11
mât Bâbîli (Bâbîlu) 11, mât maš 1, mât Šumerim u Akkadim 9, mât tâmdim 10
Meluḫḫa 26
Merâthaîm 11
Merodach-Baladan 36
Mesopotamia 62
Metalla Babyloniae 4
Minnî 58
Mitanni 20. 47. 64
Muḳaijar 31

N

Nabû (Nebô) 18. 33. 37
Nak-su(-ki) 33
Nannar 20. 31
Nâr Agadê 37
Narâm-Sin 26. 29s.
Narrationes Sumericae de primordiis generis humani cum narrationibus biblicis comparatae 72—78
nâru marratu 11
Nêrgal 33s. 35. 42
Nidaba (Nisaba) 34. 40. 42
Nimrôd 15. turris Nimrôd 37
Ninâ 40. 42
Nin-an 40
Nindara 40
Nin-egal 37
Ningirsu 22. 29. 33. 40s. 42. 81
Ningišzida 33. 42
Nin-gur 40
Nin-ḫarsag 18. 29. 33. 40
Nin-ib 35. 37
Nin-in-si-na 34
Nin-ki 40
Nin-lil 35. 40. 42
Nin-mar-ki 33
Nippur 35. 39. 72
Nisin 34
Nin-šubur 35
Nituk 18
Noahidae 12s.

O

Oannes 18
Opis (Upî) 18. 38
Orcheni 2. 32
Orchoe 32

P

Paddan 'Arâm 62
Pallakotas 7
Pasi-Tigris 6
patesi 28
Patriarchae antediluviani 76s.
Peleg 12—14
Prinus 3

Q

Quaestio Sumerica 54s.

R

Rammân 20. 81
Reges antediluviani 74—78, Sumeriorum 19. 28—30
Religio Sumeriorum 39—43
Rîm-Sin 27. 29s. 59s.
Rimuš 26

S

Sacrificia Sumeriorum 42s.
Šadrak 36
Sagur (Sagûru, Sâdschúr) 2. 6. 63
Samak 18
Šamaš 20. 32. 35
Šanḫar 62—64
Sankara 63

Šar-kali-šarri 26
Šarrukîn (Sargon) 21. 26. 30. 38
Sâsânidae 38
Šaṭṭ el-ʿArab 2s. el-Ḫâi 8. 32. 34. en-Nîl 6s. 35
Schinus 3
Scriptura cuneiformis 44—47
Senkereh (Sinkara) 32
Sepharvajim 38
Sibrajim 38
Sin 20s. 31. 38. 51
Šinʿâr = Šumêr 56—62. 65s.
Sindschâr = Singâra 62
Sinus Persicus 1s.
Sippar 37s.
Širburla 33s.
Sirgulla 57
ś-n-g-rʿ 64s.
Šubir (Šubartu, Šubari) 20
Sûdân 53
Šulgi 27. 35
Sumer 7s. „Sumer et Akkad" 7. 17. 29. 65
Sumeriorum arma 19; auctoritas ad librorum veteris testamenti formam 67—72, ad religionem revelatam 78—81, ad leges veteris testamenti 82s. ad cultum profanum Israelitarum 83—85; cultus profanus 43s; „leges familiae" 82s; lingua 47—54; reges 19. 28—30; religio 39—43; urbes 30—39; vestimenta 30
Surappu 6
Šuriaš 10
Šurippak 35
Susiane 10

T

Tamil 53
Tammûz 80
Tell Djôcha 34
„ Ibrâhîm 35
„ Kujundschik 51
„ Lahm 31
„ Surghul 33
Tell Ziblîje 34
Telloh 33
Templa Sumeriorum 43
Teredon 3. 7
„Terra maris" 10s.
Texta Babylonia 60
Textus Sumerici 50s.
Tiâmat 40
Tigris 4—6
Tin-tir (-ki) 36
Turres templorum 32. 35. 37. 40. 43
Turzi-zuabba 33
Tylos 18

U

Ud 40
Ud-nun (-ki) 35
Umma 34
Uraš 37
Urbes Babyloniae 30—39
Ur-Kasdim 23. 27. 31s.
Urmia 58
Ur-Nammu 27
Ur-Ninâ 26. 66. 82
Uruk 32
Utu 20. 32

V

Venus 40
Vestimenta Sumeriorum 30
Vocabula biblica e lingua Sumerica recepta 69—71. 79s. 84s. vocabula Sumerica in linguis Akkadiorum et Aegyptiorum 69

W

Wân (Vân) 6. 58
Warad-Sin 60
Warka 6. 32s. 82

Z

Zagros 10. 12. 27
Za-mal-mal 37
Zirkatu 34
Zu 40

Addenda

Ad pag. 7. *l.* 25. — F. Kaulen, Das Land Sinear und die babylonischen Altertümer (Der Katholik 1865, I, 63—102. 159—175). Th. T. Haluszczynskyj, De urbis Babel exordiis ac de primo in terra Sin'ar regno. Narratio Genesis 11, 1—9; 10, 8—12 monumentis Babylonico-Assyriacis illustrata, p. 15—20. Leopoli 1917. B. Meissner, Babylonien und Assyrien I, 1—13 (Kulturgeschichtliche Bibliothek I, 3), Heidelberg 1920.

Ad pag. 7. *II.* — M. J. Menant, Babylone et la Chaldée. Paris 1875. F. Hommel, Sumir and Accad (The Academy, 20. May 1882). H. Winckler, Sumer und Akkad (Mitteilungen des Akademisch-orientalischen Vereins, Berlin 1887, p. 6—20). F. Böhl, Sumer en Akkad (Stemmen des Tijds 1915, p. 11 ss.). Ch. F. Jean, Sumer et Akkad. Paris 1923.

Ad. p. 20.** — Ex nonnullorum opinione *Subartu* (*Šubartu*) est nomen geographicum, quo tantum Babyloniae pars septentrionalis atque inter septentriones et occasum solis spectans, nunquam partes Mesopotamiae significantur, quamquam Subaraei ibi quoque habitabant.

Ad. pag. 27. — Secundum E. Unger (Forschungen und Fortschritte. Nachrichtenblatt der deutschen Wissenschaft und Technik, 1. Mai 1929) circiter 4000 a. Ch. n. a Mesopotamia in Asiam interiorem gens quaedam cultu profano insignis diffundebatur. Circiter 3000 omnes incolae Mesopotamiae magno diluvio, quod nisi Noah eiusque familia nemo effugit, perierunt (diluvium biblicum). Quod diluvium C. Leonard Woolley nuper in urbe Ur, quae tum ad sinum Persicum adiacebat, repperit. Circiter 3500 Sumerii in Mesopotamiam immigraverunt idque, ut verisimile est, ab Asia media. Circiter 3100 a septentrionibus gens quaedam in Mesopotamiam irrupit, quam E. Unger nomine Proto-Akkadiorum vocat. Quae gens ab urbe Kiš profecta circiter 2850 totam terram Sumeriorum subegit, circiter 2650 autem a gente Guti rursus expulsa est; sed eius quoque gentis imperium haud diu permansit, quod iam circiter 2600 Neo-Sumerii rerum potiti sunt et usque ad annum 2300 regnaverunt. Nunc demum historia regnorum Assyriorum et Babyloniorum, quorum in sacris litteris mentio fit, initium capit. Ac primum quidem Assyrii libertatem adepti sunt. Babylonii antiqui in urbibus Isin et Larsa sedem ac domicilium collocaverunt. Amoritae circiter 2150 urbem Babylonem atque id regnum, cuius rex clarissimus Ḫammurapi fuit, condiderunt. Quod regnum circiter 1850 Hethaei et Kassitae everterunt, qui posteriores usque ad annum 1176 Babyloniam imperio tenuerunt. Eos et vernaculi et alieni dominatores (Aramaei et Chaldaei) secuti sunt. Anno 539 Babylonia pars regni Persarum facta est. — Conferas etiam A. Jeremias, Handbuch der altorientalischen Geisteskultur[2] (Berlin-Leipzig 1929), p. 7—18: Geschichtlicher Überblick. C. L. Woolley, Vor 5000 Jahren. Die Ausgrabungen von Ur und die Geschichte der Sumerer. Stuttgart 1929.

Ad pag. 33. *l.* 9. — Societas Germanica, quae ab oriente nominatur, mense Novembri anni 1928 in ruinis Warka denuo effodere coepit.

Ad pag. 36. *l.* 23. — Secundum J. Goettsberger (Das Buch Daniel übersetzt und erklärt 16. Bonn 1928). Šadrak=Akk. *šadr-Ak* i. e. servus (dei) Aku.

Ad pag. 36. *l.* 35. — F. H. Weissbach, Das Stadtbild von Babylon (A O, V, 4), Leipzig 1904.

Ad pag. 38. *l.* 26. — S. Landersdorfer quoque (ThQ, XCIX, 371—378) urbem Sepharvajim in Syria quaerit eamque cum *Sipri* aequat, qui locus inter Euphraten et Tigrim situs est et in foedere a Subbiluliuma, rege Hethaeorum, cum Mattiwaza, rege terrae Mitanni, icto nominatur.

Ad pag. 39. *l.* 20. — L. W. King, A history of Sumer and Akkad 16—39: Early cities.

Ad pag. 44. *l.* 31. — Videas etiam A. Hertz, Les sources de la civilisation sumerienne (Revue archéologique XXVII, 1928, 90—104.) A. Jeremias, Die Weltanschauung der Sumerer (A O, XXVII, 4), Leipzig 1929.

Ad pag. 44. *VI.* — Initia scripturae Sumericae ad tempora historiae fide non contestata, certe ad quartum a. Ch. n. millennium referenda sunt. Nam circa annum ter millesimum iam scholas, ubi pueri scribere discebant, fuisse tabulae discipulorum verbi causâ in urbe Šuruppak, cuius in carmine de diluvio mentio fit, inventae testantur. Iam antiquissimis igitur temporibus cum templis scholae coniunctae erant.

Ad pag. 47. *l.* 20. — H. Jensen, Geschichte der Schrift (Hannover 1925), p. 52—61: Die Keilschrift.

Ad pag. 65. *l.* 15. — W. F. Albright, Shinar-Sangar and the monarch Amraphel (The American Journal of Semitic Languages and literatures XL, 1923-24, 125—133).